27

IOANNIS INNOCENTII PETRICII

RERVM IN POLONIA

ac præcipuè
Belli cũ Osmano Turcarũ Imperatore
gesti finitique

HISTORIA

ANNO M. DC. XX. & M. DC. XXI.



CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi,
Anno Domini, M. DC. XXXVII.

ILLmo & REVERmo DOMINO,

D. NICOLAO SZYSZKOWSKI, VARMIENSI ET SAMBIENSI EPISCOPO.

IOANNES INNOCENTIUS PETRICIUS FEL.

DEbuit hîc insidere nomen Tuum ILLUSTRISSIME DOMINE, neq; deduci ab eo opere, quod Patruo Tuo sponsum destinatumq;, non potes non cum cæterâ hæreditate adire. Ego certè sicut non nomen, ita neq; cul-

tum affectumq́ meum immutaui, gemino patrocinio hominibus magis commendaturus etiam, quæ ſcripſi. Feres hunc in me errorem, ſi æquè dignitatum honorumq́, ac virtutum & meritorum, tranſlato ad Te omni patrimonio ac inſtrumento, me quoq́ transfero, & quicquid fuit Patruus, in te colo. Cæterùm, fatendum eſt, diuerſo à vulgo ſcribentium more, vbi, cùm omnes laudent, omnes laudentur, aliud quærendum erat, virtuti veſtræ præmium, ne quid de magnitudine eius minueretur. Nam nihil hîc ſine periculo fit, & tàm ei detrahit, qui auget, quàm qui eam adducit ſeorſum. Sicut collapſus & proſtratus humi paries, tantundem facit, atq; nulli ſtructuræ cõmiſſus, & ſibi relictus neglectuſq;

ita hæc

ita hæc cùm ſe ſegregat, ſtatq; deuitans alienarum congreſſum, ſola. Iam noſti inuidiam, noſti ſcribentium ſortem. Vbi de magnâ virtute atq; gloriâ bonorum memores, quæ ſibi quiſq; facilia factu putat, æquo animo accipit: ſupra ea, veluti ficta, pro falſis ducit. Adeò cum laude ſtudium ſæpiùs afferri videtur, non fides. Quare nec alloqui Te vſitato more viſum, cuius maximè intereſt, ne quid ex ijs, delibâſſe hîc inquinaſſeuè videatur adulatio, quæ narro. Quam, ſicut in limine ſtatim odi & arceo: ita detrimentum eius non tanti facio, hoc præmio Tibi remunerandum, vt poſteris magis commenderis.

Illmo & Reu^mo Principi,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI, DVCI SEVERIÆ.

Ioannes Innocentius Petricius.

NVnquam ego, SENATOR & PRÆSVL AMPLISSIME, conquirendorum quæ vbicunq; gentium præclarè gesta sunt, diligentiam improbaui: eorum tamen consuetudinem laudare haud potui, qui domesticorum incuriâ, externa tantùm suspicientes, virtutem incultu obsolescere sinunt. Etenim sicut non parua boni ciuis commendatio est, patriam ornare: ita haud minor patriæ pestis, despectu suorum, æmulationi & gloriæ viam, indoli vitam tollere. Animaduerti in tales alibi solitum legimus; & merito: Spartam enim quam nactus es, vel orna, vel desere. Ideoq; non tantoperè trophæa illa, arcus, coronæ, statuæ, virtutem vbiq; laudatarum gentium tenebant: quantòpere popularium ore reddita cuiq; gloria accendebat; vt cùm se Brutos, Themistocles, Leonidas, Romanos, Athenienses, Spartanos audiebant, à moribus suæ quisque familiæ aut populi, velut à naturâ, abire nequaquam poterat. Neq; verò nostra tempora, ea operum sterilitas tenet, vt externa suspiciendo, velut in alieno triumpho versari necesse sit. Mitto enim ardens & infixum cuiq; populo famæ desiderium. mitto ingentes illos, qui iam annalium paginas compleuerunt viros. videre videor hoc, quod descripturus sum, prælio, insignes fortissimorum bellatorum Duces, primipilos, aliamq; centurionum & militum cateruam, inter cumulos corporum armorumq;, inter tabem sanguinis, ægrè per aduersa vulnera, fessaq; cædibus membra, animam trahentes. Quid? num virtutem illorum Manliis, Torquatis, Regulis, Sergiis donas? en Zolkeuius truncatæ caput adijciens dex-

ens dexteræ, quærit an eam Sceuolæ largiris? quin & Koniecpolscio, dum ad corpus collegæ dimicat M. Fabium aduocas? Superantne Decij duos Zolkeuios, Korecium, Balabanum, Kasanouium, Ferensbachium, Dinophium, Wrzescium, Koualkouium, deuotis corporibus in hostes ruentes? Et Lubomirscij Comitis rara illa pro patria promptitudo & liberalitas, num Q. Fabii tantum virtus est? Cedunt scilicet P. Valerio Duces Zbarauii, in planum oppida agentes? Cedunt Corculis, illâ prudentiâ, illa sapientiâ? Cedit Papyrio Hotkeuicius illo corporis robore, illo animi? Victus fortassè est VLADISLAVS Princeps virtute Scipionis Africani? exhorruit funestam terram? vbi iuueni pariter, inter duorum Imperatorum funera, contra formidolosum toti orbi hostem res gerendæ erant. Et ne singula commemorem, quid Senatus noster? per tot mala & seruitutem orbis sospes, ingentibusq; inimicitiis superstes, cuinam inuidet imperium vel libertatem? Ergo non peccaui, Præsul Illustrißime, dum trophæa hæc domi collecta ad templum Tuum Virtutis & Honoris porto; vbi ad aram vitæ & morum Tuorum, æterna tibi gloria, faustæq; omnium acclamationes adolentur. Non peccaui, inquam, siue illa, siue Te considero. Illa, heroibus tantùm, excelsæ virtuti, & talibus qualis es Tu propria: Te, ex cuius splendore, sicut aquilæ ex sole, ita egregia quæq; indicia sua sumunt. Tacebo enim nunc diuinas virtutes Tuas, quibus eodem loci, vbi Deum veneramur, inter aras & altaria Sacerdos colluces. Mittam honores Tuos, quibus sublimis in Regno Episcopus, & inter Episcopos Senator radias. à Deo ista Tibi destinata erant, neque illis qui fastigia hæc conferre poterant, eligendi Tui potestas, sed gloria relicta erat: Tu hæc debita virtutibus Tuis nascendo statim meruisti. Transibo, quantacunq; illa sint; Clerum ad antiquum virtutis habitum, id est, ad similitudinem Tui reformare: adducere in Episcopam, dilectam Tuam Spartam, quicquid vsquam egregij; tot institutiones, tot supplicationes, tot grates, tot preces, tot tēplis donaria; videlicet vt omnes discerent, Deū pariter eâ pietate, quâ Tu colere. Non cōmemorabo Hierosolymitanas illas diuitias, neq; in fæcunda religionum Italia, alibi quàm Romæ & Bononiæ collocatas; à Te velut septem mūdi miracula, ad septem Ecclesias Cracouiam deductas. Ipsa templa tam præclaris muneribus cumulata, quantùm

religio-

religionis per Te acceperint, augustiore in dies vultu & celebritate testâtur. Sed in Episcopatu quicquid Tui muneris erat fecisti: in quo nõne interfuit patriæ, vt Episcopũ Te haberet? vide quantùm adhuc intersit, Episcopum Te tantùm habeat, an etiã Senatorem. Non hoc dicam, quàm Tu polleas prudentiâ, consilio, auctoritate; quàm sis magnus in literis; quàm ardens in opere, firmus pro veritate, offensionũ pro vtilitate publica impauidus: omnes enim ista norũt quicunq; Te norunt. Illud vnum quomodo dicam? cùm VLADISLAVS Princeps, contra immanem barbarorum vim, fata omniũ nostrum in acie versaret: cùm SIGISMVNDO Regi eòdem tẽdenti, vbiq; cõclamaretur ad arma; hominibusq; vrbes, vilæ, vici, agri nudarẽtur. Quid? Sensisses te Cracouiæ Principem Poloniæ vrbem? arcem insignium Regiorũ, illiusq; Coronæ, quam tibi cõmissam, capiti Regio seruare debuisti? cùm Georgius Dux in Zbaras, Castellanus tuus, cum cohortibus & copiis suis, cum Rege aduersùs hostes processi et? cùm Ioannes Comes in Teczyn Palatinus tuus, vniuersum nobilium robur, sub signa & vexilla euocâsset? cùm Gabriel Comes à Tarnow Capitaneus tuus, cùm omnis equestris ordinis flos, viri, iuuẽtus, velut vno agmine Regem secuti, te desererent? Habuit Te solum SZLSCOVI Cracouiæ, qui dignitatis & salutis suæ curam, sumptu & opibus Tuis cõtracto milite, libẽs susciperes, atq; ad fana deûm, aras, focosq; eius, paludatus Põtifex excubares. Irem nunc inter signa & cohortes Tuas, inter vota & acclamationes, quibus Te numeroso stipatum milite, totus excipiebat populus: nisi plausus ille hominum & Tua gloria, publico consecrata elogio, latè iam per omnẽ memoriam inculcata iret, cæteris incitamento, vt quicunq; post Te futuri sint, Tui similes sint, Tuoq; exemplo, in senatoria libertate Æmilianum, in seruãda vrbe Camillũ, in suscipiendo discrimine Fabiũ immitentur. Ego quoq; PRÆSVL ILLVSTRISSIME, in hoc operis mei introitu, imitatus illos, qui magnas vrbes intrãtes, primùm sacras ædes, & dicata Numini summo delubra adeũt; ad Te primum venio. Patere ô Antistes, primam hanc meam fœturã, nouitio partu elucubratã, magnitudini Tuæ sacrare. Patere hoc laboris mei rudimentum, à fauoris Tui nutrimentis incrementum sumere. Sic enim & mihi, aduersus maligni liuoris incursus, robur: & quod aliis præstare soles, Historiæ meæ à Te veniet Fama & Æternitas.

Anno 1620.

IOANNIS INNOCENTII PETRICII

HISTORIA BIENNIS RERVM IN POLONIA GEST: ANNO M. DC. XX. ET M. DC. XXI.

HIstoriæ pretium fidemq; facere, posthumo rerum exitu plerisq; vsitatum. ceu morte, dempto omni metu votoq;, ampliùs nulla maneat offensæ aut adulationis merces. Sed sicut ingrata temporibus, vsq; dum neque falsi quid dicere, nec veri non dicere audeas, premere conuenit: ita reputando ea, quæ hominum ingenijs exercentur, nec fallacius aliud, nec opinabilius, rerum gestarum traditione inuenio. Quippè alia modis alijs constant; fide solâ, quæ recesserunt: perinde obnoxia, si ad tempora faciunt, scribentium simulationi, si non faciunt, legentium obtrectationi. Nam & auctori, in ea quæ conducunt, quæq; non exprobrantur, promptior audacia; & de præteritis, cùm nemo sequentium satis prudens, satisq; callidus sit, de vitijs virtutibusque, tantùm alteri credit, quantùm hæc ipsa suis temporibus amat capitué. Iam verò multi, quod partibus & negotijs Reipublicæ affuerunt, velut rerum certiores, se scribendo alijs anteposuêre: hoc quoq; magis suspecti, quò magis apud Reges gratiâ peruiguêre, siue nimiâ, siue nullâ. At mihi animus, quibus rebus alijs percellitur, maximè erectus est. Primùm, quod priuato hæc aliaque mala cum

Historia an post mortem auctoris certior?

An scripta ab hominibus in dignitate constitutis, vel priuatis?

ambitione desunt. Dein', etsi cogitationum, secretiorumque minùs peritus; casus tamen, euentusque rerũ, qui haberi poterant, diligentissimè conquisiui: contentus, quod præcipuum scribentium munus est, temporum referre testimonium; si cui in obscura & inaccessa exactiùs conari, spretis quæ in summo patent, voluntas est, nulli intercludere arbitrium. Quanquam aliqui, ijs qui calliditatem aulæ forique non exercent, deesse subtilitatem putant: cùm pleraque consiliorum, non apud vnũ coërcita, multorum conscientiâ erũpunt; alia specioso obtentu velata, facta ipsa arguunt, & in multis haud semper errat fama. Liber, & mihi ipsi probatus, prouocor in publicum, inconsulto fortasse, sed honesto tamen, nonnullorum quæ hactenus pressi, editionis errore, vt præsentes præmoneantur ad gloriam. Ficta tamen falsaque effugi, sine veritatis detrimento: alibi, nonnisi ingenio exemploq; scribentium, benè facta lætiùs efferendo; alibi temporibus, malè facta cum auctoribus tacendo, obsecutus. Mãserit isthæc, intra prima sæcula casta puraque, quibus in rectè faciendo, non obseruatorem, sed se quisq; ipsum metuebat, eorumque sortem, qui talibus curam ingeniumq; impẽdere, fælicitas: cùm crescentes opes factaque populi memorabantur pari eloquentiâ & libertate. Mihi in arcto & anxius labor, dum graue annis Regnum, prouecto cum vitijs æuo vitâque, & in ipso exordio, post Sex & Decem sæcula, Annum Vigesimum, statim cruentum accipio. Vtcunq; tamen ceciderit, mihi promptiùs fuerit, subire inuidiã culpamque, quàm tollere manum ab opere belloque, in cuius magnitudine & fęlicitate, attoniti adhuc animi gentium

Authoris propositum.

Fides in restricta libertate.

Argumentum.

gentium tenentur. Iram quoq; hanc Numinis, quam vno tempore, alia fælicia ac beata Regna & Imperia versantem iactantemq; spectauimus, in nos etiam referre liceat. Nimirum, destinata fas non est cuiquã permutare: & ea plerunque periculosiùs affliguntur, quæ diu floruêre. Siue hoc nostrum fatum, seu vicissitudo rerum, & fatalis vel necessitas, vel pœna fuit: dedimus profectò breuissimo tempore, grande huius varietatis ac inconstantiæ fortunæ exemplum; plurimiq; paucis annis, qui solum è vitâ vnius hominis pro imperio eximi possunt, magnis bonis, magnisq; malis superstites, vtraque tam citò affuisse effugisseq; miramur. Quid enim sub imperio SIGISMVNDI Tertij ampliùs fælicitatis adstruere nostro Regno fortuna potuit? Sub eius moderamine Hieremias & Simeon, Principes Valachorum, oblato vectigali in tutelam accepti. Exutus Rosuana Transsyluanorum Dux exercitu, paloq; suffixus. Liuonia armis vindicata. Aditæ & fractæ, longinquitate secretæ, ac penè incognitæ gentes. Smolenscum Ciuitas, à Moschis vltrà Cẽtum annos, nõ bello sed proditione nostris erepta, ædificijs aucta, & validissimo ingentis arcis præsidio munita, obsidione bienni, ab ipso vastata, & in potestatem redacta. Tota Moschouia victorijs peragrata: & captus Imperator Basilius Suiscius, cũ Ioanne & Demetrio fratribus, ante eius soliũ procubuit. Seueria & Czernichouia, Moschorum Prouinciæ, à VLADISLAO Filio, Paterno iussu, exemploq;, imperij nostri iugum acceperunt. Quin eiusdẽ Regis auspicio & fortunâ, vastata à Cosacis Turcarum Achilles, Techinia, Kozlouia, Otzakouia, Belgradum, Theodosia, Trapezuntium: & super

Res sub SIGISMVNDO Rege gesta.

Prospera.

ſuper alia inſignium vrbium excidia, Synopis caput & regia Ponti, dũ tempus mercatûs, ditem alioquin vrbem, maiorum opum ſpecie compleuerat, graui ruinâ concidit. Iam Præcopum expugnatum. Sed & mare tentatum; in quo Ciculæ Baſſæ filius victus, & occiſus: alter item Baſſa claſſe victâ captus, & in vinculis mortuus. Territa Conſtantinopolis ſubitis armis, ſuburbiorum incendijs: incuſſaq; ſæpiùs Turcis Polonorum reuerentia. Ipſe Turcarum Imperator Oſmanus, totâ ſuorum armorum viriumq; potẽtiâ ſuccinctus, iamq; limen propè Regni ingreſſus, fœdè pulſus fugatuſq; eſt. Spretæ ferales gentibus lunæ: proſtratæ formidatæ orbi aquilæ: magni terroris bellum, quotidiano auctu immenſi exercitûs horribile, mirâ celeritate & virtute, intra duos menſes compreſſum extinctumq; eſt. Sed hæc aliaq; ipſorum ciuium quoq; voto maiora, vt pronior fortuna dederat: ita aduerſa, velut eadem repoſcendo recipiendoque, ipſum inſuper Regnum, vt Polonorũ propè ſolueretur imperium, ſub eodem Rege lacerauerat. *Aduerſa.* Nihil poſtea perpetuum, nihil tranquillum, nihil immotum, nihil in antiquo ſtatu fuit. Amiſſa breui quæ affectauimus: nec vlla inde vtilitas aut gloria mãſit, niſi quòd habita erant. Proceſſum domi ad arma, ferrumq; à ciuibus ſtrictum eſt. Fœcundiſſima Ruſſiæ Podoliæq; ora, continuis & in nullâ ſeculorum ſerie atrocioribus auditis, aliquot annis Tartarorum excurſionibus attrita, & euaſtata eſt. Minor Polonia finitimorum excurſionibus exterrita: Maior, hoſtiũ à Sileſiâ tranſeuntium, preſſa veſtigio, lacerataq; eſt. Liuoniæ iniecta iterum manus, ademptaq; eſt. Pruſſia ſui maris vorticibus circumacta, propèq; abſorpta,

pta, amiſſis præclaris arcibus vrbibuſque, opulenta portoria vectigaliaque, alteri trans mare conceſſit domino. & præter multiplices bellorum calamitates, erant quæ domi pacem contaminarent. Adeò difficilis eſt magnæ fortunæ in excelſo mora: naturaliterq; ea citiùs recedunt, quæ celerrimè contigerũt. Sed vt triſtia omnia, omniumq; memorem ætatum bella, illud publicâ voce dixiſſe habeo: Nihil inter potentiſſimorum hoſtium vim, dolos, inimicitias, inter variorum periculorum tempeſtates & procellas, aduerſum, etiam iratis fatis, plus in nos potuiſſe, quàm domeſticam diſcordiam. *Nulla tam ſolida felicitas, in qua fortuna non vtramq; paginam verſet.* Abſit verbo inuidia: ſoli per mille & ampliùs annos, ad hanc vſq; diem in libertate, cui nihil ſimile aliæ gentes habent, incolumes agimus: ſoli tanquam murus & fatale Chriſtianorum munimentum, Turcarum furorem ab alijs gentibus in nobis ſiſtimus auertimuſque. *Quid in Republica Polona admirandum.* Hîc permultis decennijs duraturã Troiam, hîc Thermopilas, hîc quicquid ab Europâ timere poſſint, & omne periculum habent.

Cæterùm vt negotij mei initium, ordinem, finem accuratiùs ediſſerã: conſilium mihi eſt ante pauca de Valachia, deinde Gratiano, cauſiſq; belli præmittere. *Annus 1620.*

VAlachia, in duas nũc partes diuiſa eſt. vtraq; à meridie Danubium, ab occidente Tranſyluaniam contingit. *Valachiæ deſcriptio.* Quà verſa in Septentrionem ad Tyram fluuiũm, noſtrarumq; terrarum cõfinia vergit, Moldauia dicitur. Fluuius Moldaua, modicus licet, ibidemque Soſſauæ aquis emoriens, tamen in nomen terræ euaſit. maiorq; pars eius Moldauia nominatur: niſi quà montes ab oriente procurrentes, vltrà nomen hoc

submouent, veteriq; appellatione ibi tantùm Valachia manet, quæ etiam nunc Transalpina vocatur. Nostris contrà, propior pars Valachia, altera Moldauia dicitur.

Vetus appellatio & libertas.

Cæterùm tota hæc regio, antea libera, primùm Daciæ, deinde Valachiæ nomen tenuit: internis postea dissidijs, plures dominos, mox appellationes, tandem seruitutem, accepit.

Initium & causa mutationis eiusdē discordia.

Defuncto enim Stephano, primo post Bazaradum Principe, inter ambiguos quinam in imperium deligeretur, inclinari res Valachorum cœptæ. Neq; externus dominationi quærebatur, integrâ etiamnum Stephani domo, & superstitibus duobus filijs Stephano & Petro: sed quia popularium fauor ad Petrum inclinabat, qui alioquin audacia promptus, proxima quæq; corripiendo, apud turbidos potior habebatur. Pro Stephano, ius principum, mos patrius, & natura, vt natu maior succederet, stabat. præualuitque tamen Petrus.

Stephanus tributariam promittit Casimiro Magno, Anno 1359.

Stephanus, quòd vnum subsidium credebat, ad preces versus, vectigalem totam Valachiam promittēs, à Casimiro Magno, Rege Poloniæ, perduci se ad patrium fastigium orat. Sed quamuis copijs eius refectus, ad gentile decus euaserat: diu tamen per aduersa conflictabatur. Nam Petrum ingenio violentum, super solitam fratribus inuidiam, amissi quoq; principatûs pœnitētia, & secuta postea mors Casimiri, acriùs in Stephanum agebat. Quâ occasione motæ aut accitæ Turcarum gentes, Bulgariam, Seruiā, & quicquid à tergo erat occupârunt: adeò proximo periculo exterritis Valachis,

Et Valachi se spōte tutelæ Polonorū tradunt. Anno 1376.

vt spontè oblato perpetuo vectigali, iterum tutelæ se & patrocinio nostrorum darent. Multùm id ipsis ad animos & gloriam profuit. Nam neq; à nostris tributorum magnitudine attriti, & Tur-

& Turcarum bellis celebres, alienâ fiduciâ, strenuè retinebant libertatem & virtutem.

Rursus in factiones diuisi.

Discordes deinde, & domesticis factionibus fessi, dum dominationi implicātur, adducti sunt vt seruirent. Manebat quippe vetus adhuc inter succedētes de principatu dissensio: cui sæpiùs popularium fauor occasionem, & socios aut ministros turbarum, dabat. Hinc armorum initium, & è propinquo pars fortunæ Turcis.

Occasionē Turcis occupandæ Valachiæ Transalpinæ:

Nam dum illi per acies occupantur; hi in adnexa & vicina irrumpere, castella, vrbes corripere: haud multùm etiam repugnantibus Valachis, tædio præsentium, & vbi successu destituebantur, propensione etiam in hostes.

Nec multò post vsurpandæ dederunt.

Sed Turcæ satis iam eorū opibus aucti, vsurpandi iuris gratiâ, & quia ad omnes euentus vtilius id videbatur, partem Valachiæ quam nos Moldauiam vocamus, imposito nouo Principe distinguunt.

Alteræ Valachia nō omninò cōstās:

in aliam quoq; animis viribusq; intenti: sed quæ etsi non perpetuò constans, neq; omnino aduersa, potentiam tamen nostrorum diu prætulit.

Vsq; ad Mahometem, Polonorum amicitiam prætulit.

Postquam verò Mahometi Secundo, Constantinopolis, & quicquid superat Græciæ cessit, tunc demum & ipsa ad Turcas conuersa. Creuit ex eo acris contentio. Nam & Poloni, veteri iure Valachiam sibi asserebant: & Valachi innatâ mobilitate, arma nostrorum in Turcas prouocabant.

Inde neutrafida.

Atq; sub regno nostro hucusq; Valachia esset, ni ipsi hos illosq; prout inualuerant, vel pro libitu fouere assueti, tædij remedium, flagitiosâ apud vtrosq; perfidiâ, quæsissent.

Et à Polonis ob frequentem perfidiam relicta.

Ad extremum, quia nostris pretium bellorum & sanguinis, non nisi eorum perfidia erat, segniùs exinde publicis opibus adiuuabantur. Nobilium multi, ius Regni priuatis viribus sæpè vindicârunt: si perinde postea firma fuisset gēti fides,

fides, quàm nostris ex eius cõpressione tantùm gloria. Ita publica quies, Turcis in occasionem vsurpãdæ Valachiæ cessit. Mox sublatâ etiam libertate, impositi Principes, non ex nobilissimis populariũ, aut gente Turcicâ, sed vndecunq; oblati, viles, obærati, quandoq; pudendâ origine vel seruitio. Neq; id genus despectum apud Turcas, vltroq; tales honoribus appetuntur; quia ex vilissimis minùs periculi: multi vt degeneris animi notam interpretantur. Sed maximè Christianis, qui in ritus eorum transgrediuntur, ad alta aditus. His prouinciæ, decora militiæ, curæque imperij decernũtur: Turcis, non regimen, non dignitas patet. maius pretium est alibi nasci, & in Christum periurum esse. Valachis tamen, velut solatio, Princeps Christianus imponebatur. & hoc tẽpore, Gasparus Gratianus præerat. De cuius origine, fortunâ, & quia nostri belli pars magna fuit, paucis quoque expediam.

Turcarũ imperio concessit.

Turcarũ in dandis Principibus mos.

Valachis Gasparus Gratianus præpositus.

Germanus is erat (quamuis aliam ferri, de natalibus eius famam, haud sum ignarus) Græcij in Styria natus. Causa illi mutandæ terræ, domestica paupertas, & frater natu grandior fuit. Nam is coëmendarũ gemmarum gratiâ Constantinopolim profectus, vbi negotiatio prouenerat, sede quoq; ibidem firmatâ, Gratianum admodum iuuenem eò transtulit. Illic in ministerio fratris adultus, mox mutando merces, terras & principes obibat. Auctæ hoc modo opes, & hæc ipsa diuagatio, breui ad non suæ spei & originis nomen, inopinum extulerunt. Quippe delatus in Italiam, cum venundatis Principi Hetruriæ pretiosorum lapillorum mercibus, rẽditũ Constantinopolim pararet, nouo quæstui redimendorum Turcarũ, qui tunc

A fratre Constantinopolim traductus

Negociatione pretiosorum lapillorũ sustentabatur.

Inde in Italiam delatus.

qui tunc captiui Liburni habebantur, animũ adiecit. Delectu ergo ex nomine & conditione facto, ad octoginta circiter naui imponit, ac Constantinopolim reuehit. Vbi eò appulit, & hæc Turcis nunciata sunt; confestim omnes accurrere: complere portus & littora: alius liberos, parẽtes, fratres, propinquos, sciscitari aut noscitare: alius illuuiem & squalorẽ reuecti cœtûs mirari: quisq; vt erat nouitate rei percitus, in obuium, ille in plures cumulatâ admiratione spargere: velut insolita Christiani ea propẽsio in Turcas, & non lucri studium fuisset. Mox diffusus totâ ciuitate rumor, amplissimum homini præmium tulit. Accersitum enim Achomates Cæsar, quod fidũ sibi putaret virum, Ducatu primò Naxiæ & Bissacensi excepit: postea imperatâ legatione, ad Matthiam Christianorum Imperatorem, quia ex voto perfecerat, redeuntem Valachiâ auxit. & accepere Valachi læti, vt fermè ad noua imperia.

Turcas captiuos redimit.

Constantinopolim reuehit.

Hinc Turcarum admiratione,

Et Cæsaris fauore, Ducatũ Naxiæ & Bissacensem adeptus.

At Gratianus sublimis licet potentiâ; sæpè tamen pristinam conditionem, inter insperatas felicitates recognoscens, suspectas fortunæ blanditias, & Turcarum beneuolentiam habebat. ideoque dominandi ambiguus, palàm prouinciam, clam verò ingentes opes curabat. Prouiderat nempe Turcarum breues & infaustos fauores, amicitiam aliquandiu prosperã, nunquam securam. Valachorum vt leuia ita infida ingenia, potentiam inuidiæ, odioq; ambiẽtium, obnoxiam. Nec defuit suspicioni credulitas: dum multi Turcarum, velut in satellitium illi additi, nuncios, introitus, aperta, secreta, scrutarentur. Quapropter perinde Turcarum fauori, quàm fidei Valachorum diffisus; diu meditata consilia, in alterutram calliditatem in-

Sed Gratianus ambiguus dominandi,

Opes tantùm parabat.

Deinde suspecta Turcarũ & Valachorum fide,

tem intendebat; vt aut opes, quas tradita prouincia pepererat, aliò transferret, aut Valachia Turcarum potestati deducta, firmiorem sibi potentiam per nouum patrocinium & rebellionem faceret. Cupiditate partæ dominationis, ad retinendam prouinciam flexit: si præsentia minùs prouenissent, faciliori postea curâ opibus, quàm dignitati consulturus. Igitur quod præcipuum videbatur, vt Turcarum potentiæ aliam opponeret, in partes nostrorũ se transdere parat. Hoc enim pacto, & faciliores Valachorum animos, si in veteres dominos adduceret, putabat; & ex oblatâ vltrò Valachiâ, captata apud omnes gratia, exasperatâq; inuicem Turcarum & nostrorum odia, prõpta & prospera quæq; illi apud nos pollicebãtur.

Tutiorẽ rebellione potentiam sperans,

Valachiã Polonis tradere meditatur.

Sed quia bellum, omniũ quæ cũ Turca gesta sunt, maximè memorabile dicturi sumus; res adhuc admonet, vt primordia causasq; eius altiùs orsi aperiamus.

Digressio ad causas belli.

Quamuis enim publicè à nostris negligebatur Valachia; varios tamen motus, à Turcis possessa, apud populum, apud legiones, apud primores ciebat: etiã quibus negligẽda videbatur, tamẽ indignabantur inter prouincias Turcarũ, Valachiã tot annis à nostris habitã numerari darique. *Vbi illam gloriam Tarnouiorum, Seniauiorum, Lasciorum, Visneueciorum, Zamosciorum, impositos arbitrio Turcico, hostiumq; artibus infectos principes, exturbantium?* Neque deinceps fortium virorum animi teneri poterant: vtpotè qui libertatem & æmulationem amabãt; coërcitionem, vt speciẽ seruitutis, oderant. Quin non multò post Samuel Dux Corecius, vsurpato exemplo, ope priuatâ, infestos in Valachiam exercitus inferebat, graui rabie & dolore Achomatis Cæsaris. Magnis enim prælijs sæpè & feliciter congres-

Valachiã à Turcis possideri ægrè Poloni patiebantur.

Aliquorũ illic egregia facinora.

Dux Corecius priuata arma in Valachiam infert. Prosperâ diu fortunâ.

congressus, exercitus eius clade ingenti excipiebat delebatque. Nec dubium habebatur, si à nostris adiutus fuisset, & resumi Valachiam, & ipsum non capi potuisse. Quod contrà factum, spem quoq; & audaciam Turcis in nos præbuit, cùm fatali ipsius alteriusque qui idem tentauerat casu, velut illâ cunctos complexi victoriâ, animum etiã potiundi nostri assumerent. Nam non multò post alius, priuatim quoq; collectus, in Valachiamq; inductus exercitus, iniquitate fortunæ, ad fluuium Dziezam circumuentus, syluis, paludibus, insidijs inclusus, vt ne pugnandi occasionẽ quantùm voluerat haberet, penè ad internecionem trucidatus est. Inuitabat præter hæc Turcas, Regnũ accessu facile, nullis montibus clausum; gens laborũ tolerans, multæ solertiæ, bello strenua, ac si discordia, cæteraq; libertatis vitia abessent, prorsus inuicta. Versabatur & ante oculos, terra immensis diffusa spatijs, in eaq; copia sulphuris, nitri, plumbi, æris, ferri, argenti, nerui & instrumenta bellorum; vbertas frumenti, numerus equorum pecorumque, ac omnium vtensilium, haud minùs magnifica, quàm opulentis etiam terris reperiri sueta. Impellebat adhæc auidos religio, quâ votiuo obligatoq; exscindẽdorum Christianorum odio imbui dicuntur, & insana persuasio, aliquando fore, vt soli totius orbis potiantur: tum verò vtrâq; fortunâ, velut signo & omine à Dijs ad proferendum imperium accepto, in nos intenti. Cæterùm quia restincto priuatorum bello, causa illis in publicum minùs suppetebat: ad antiqua reuoluti, Cosacorum incursiones obtendebant.

Demum infausto euentu.

Qua victoria sublati Turcæ,

Et alia ad Dziezam fluuium,

Bellum Regno Poloniæ inferre meditantur.

Sed quia iusta causa deerat, Cosacorũ incursiones obtendunt.

Duo horum summa nomina, Donensium & Zaporouiensium. Lissouienses enim falsò ad Cosacos ab ali-

Cosacorũ genera.

Lissouienses.

ab aliquibus transferuntur, quamuis leuitate armorũ, pernicitateq; in bellis, ipſis ſimiles agunt. Quippè legionarij ſunt noſtri milites; morem tantùm belligerãdi, duce Liſſouio, bello Moſchouitico ſecuti, eundem nullâ prorſus ſede, cum auctoris adhuc nomine tenent.

Eorum origo.

Propria horum velocitas & audacia. ad quæ Liſſouius eos mirè exercuit. Mora fuit apud eum & laſſitudo formidata: in auiaq; & remota progreſſis, ſi quis obhæſiſſet, ne index vbi alij verſarentur exiſteret, necatus relinquebatur.

Quam vide Hiſtor: Moſchouiticarum, lib: 3.

Quærere pontes vadaq; illicitum: prout vſus aut neceſſitas inciderat, in altũ ſe immittere nihil trepidanti animo, & tranſnatare profunda equo, aut eodem amne gurgitibuſuè mergi neceſſe erat. Rectiùs tamen hos Velites; Donenſes Zaporouienſeſq; Coſacos dixeris. Vtriq; horũ, partem terræ velut ad ſtipendium obtinent; nõ legibus, non Regibus obnoxij: ſolâ reuerẽtiâ exceptâ, quam pro bellis tãtùm & acie exhibent, in limite expoſiti, & periculi vſu in pericula prompti parẽteſque, ſimul præferentes diſciplinam bellicam, & prædonum audaciam.

Donẽſes.

Donenſibus, qui ſub Moſchis ſunt, Don fluuius, Latinè Tanais, ſedem & cauſam cognominis dedit. Zaporouienſium idem ſitus & origo, quà Boryſtheni propè finis eſt. Vaſta illic omnia, continuiſq; ac velut ſine fine campis deſerta regio. vulgus agreſtium, ex circumiectis Kijouiæ locis collectum, illuc tranſgreſſi, in nomen Coſacorum coaluit. Neq; verò illud arandæ exercendæuè terræ, alioquin fertilis, ſtudium eò induxit: ſed prædarum ex hoſte dulcedo, & vt quæcunq; circùm iacent, vaſta tamen & deſerta eſſent. Tartari enim per ſolitudines vagari ſoliti, coniuges iam cum liberis armentiſq; illuc, velut in neglecta, pro-

cta,pro-

Cum Tartaris prælia.

cta, promouebant. Hinc Coſacis materia raptûs & gloriæ: iamque ad proximos, iã longiùs, clareſcẽdo, velut apertâ terrâ & licentiâ, ingens ad eos cõcurſus; non multitudinis modo, ſed Nobilium etiam, quos exercendæ rei militaris ſtudium eodem trãſferebat; aliorum, quos neceſſitas aut ſcelus patriâ exigebat. Neq; illuc venientes, vrbes aut tecta receptabant; ſed vacuas ſolitudines æſtate pererrando, hyeme rursùm domos quiſq; ſuas, aut adiectos Kiouiæ vicos repetebat.

Ciuitas Terehtimirouia.

Stephanus Battorius Rex Poloniæ, donatâ ipſis ciuitate Terehtimirouia, quinquaginta eos millibus paſſuum, à Kiouiâ ſeiunxit.

Inſulas Boryſthenis occupant.

Ipſi deinde ſponte in vlteriora promoti, cùm vndiq; Tartaros ſubmouiſſent, Boryſthenis inſulas occupàrunt. Id ſubſidium illis aduersùm fortuita, & occaſio aſueſcendi ad officia naualium erat.

Inter inſulas Tomakowkã

Præcipua inſularum Tomakovvka, in qua genti radix eſt: nam alias, quãuis amæniores, ſæpè tamen deſeruerunt.

illic poſitis mapalibꝰ habitant.

illic medio amni poſitis tantùm mapalibus habitant, pauci ob loci anguſtiam, ſed incultu vrbium horridi, & quia periculis ſepoſiti, cæteris ferociores.

Cæteri per oppida diſperguntur.

multitudo alia, quæ in dies creſcit, latè per noſtra oppida diſpergitur. vbi quid ſubitum, aut in hoſtes excurrere illis conſultum, datâ teſſerâ eodem confluit. Otio, iterum ſuas quiſque ſedes repetit. fortiſſimi & bellicoſiſſimi, Tomakovvkam regrediuntur. Placet talibus locus, vbi Turcarum Tartarorumque imperijs appoſiti, promptiùs clareſcunt; ipſo etiam periculoſo aditu, velut à ſimilitudine & inertiâ aliorum amoti.

Boryſthenis Cataractæ.

Nam Boryſthenes, quãuis diu præceps ſæuuſq; decurrit, tamen obuius ipſorum inſulæ, quà inter aſpera rupium hinc atq; illinc preſſo eundum eſt, ingenti fragore ex alto decidit, & con-

&con-

& continenter montibus aliquot deiectus, aquiſque ſemper è ſublimi pendentibus, feruens adhuc & ſonans, derelicto ad dextram aluei Corcitza oppido, virtute quondam & ſede Viſneuecij celebri, mox Tomakovvcæ inſulæ aduoluitur, nomenq; deruptorum & præcipitiûm, quæ euaſerat ad Coſacos transfert. Illa enim Latinè Cataractæ, noſtris à ſimilitudine liminum, vt quæ nouem, velut gradus, per ordinē poſita videas, Porohi dicuntur. Hinc quod vltra eſt, ʒá porohi: vnde & Coſaci Zaporouienſes denominantur. Mutant tamen ſubinde id nomen: & Niſouienſes, ſed ex re vocantur. Nam terra, apparens illic depreſſior, ex decliui fluminis decurſu, Nis dicitur. quamuis non omiſerim, ob eandem cauſam Voliniā vlteriorem, per quam Coſaci diffunduntur, Nis quoque à pleriſq; vocari. Hæc de origine & ſedibus Coſacorum celeberrima. Cæterùm quod in turba mirere, multùm iam inter eos, diſciplinæ & ſolertiæ videas: per vexilla & turmas cōponi, præponere fortiſſimos, audire præfectos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, ſuas leges, ſuos magiſtratus habere. Ad id tamen adduci non poſſunt, vt agros colant, ſolum conſerant, ſepiant, rigent. quicquid prælio partum, & ſua cuique manus, neceſſitatibus ſubuenit. Iners quippe videtur, cū terrá in annum contendere, quod alicunde poſſis citò ſanguine parare. Quapropter crebræ illis in Pontum excurſiones, ob faciles appulſus, aliaq; ad irrumpendum opportuna. nam Boryſthenes ab inſula quam colunt, vix centum millibus paſſuum amotus, illic affunditur, mariq; miſcetur.

Sed Coſaci paruo Turcarum damno, diu mari ſe tenebant: donec continuis eorum apud nos expoſtulationi-

Porohi.

Zaporouienſes aliquando Niſouienſes vocantur.

Volinia vlterior Nis dicitur.

Coſacorū diſciplina.

Excurſiones in Pontum.

Recurſus ad cauſas belli.

lationibus, & noſtrorum metu irritati, quantò magis exitio depoſcebantur, tantò acriùs in aperta quoque & vrbes eorum effunderentur. Et Turcæ, ſiue ad tollendos Coſacos, promptiùs nos iniuriâ impulſuri, ſiue lacerando prouincias validius pro tempore bellū ſeruaturi, Tartaros quoq; immittebant: eorumque turmis immixti, non furtim vt ante, ſed palam populabantur Ruſſiam. Hinc noſtrorum queſtus, mox ira, & vt aliquibus videbatur, remedium non niſi ex bello. ſed non temerè illud mouendum, & omnia, iure priùs ſecūdum pacta Sigiſmundi Primi, cum Solymano Turcarum Imperatore inita, experienda: ea ſententia vincebat. Ergo mittebantur nuntij, fœdus & amicitiam memoraturi, irrito tamen conatu; cùm verbis benigna referrentur, re autem vetera continuarentur. Et vbi Achomates vitā conceſſit, imperiumq; Turcarum ad Oſmanum filium vix puberem tranſlatum, miſſus ad inſtauranda pacta Petrus Ozga, Præſes Trebovvlenſis, ſpem quoq; pacis, re perinde excurſiones bellumq; retulit. Iamq; in arma noſtri inclinabāt, ni Turcæ diluendis prolatandiſq; damnis callidi, vt ſuper controuerſias incurſionum a Coſacis illatarum, quæ videbantur Tartarorum inſolentiæ patefacere in Poloniam cauſam foreſque, Cōmiſſarij decernerentur expetendo, multos ſpe quietis attinuiſſent.

Profecti igitur, è noſtris, generalis exercituum Imperator Staniſlaus Zolkeuius; è parte Turcarum Skinder-Baſſa: (id erat Dalmatæ nomen, & honor perfidiæ) iuſtâ vterq; manu, ad Buſſam conuenerunt. Ibi Turcę, audaciam Coſacorum cōqueri, vetera nouaque damna adducere; ſimul percenſere numerum oppido-

Turcæ Polonis graues.

Tartaros immittebant.

Polonos de iniurijs expoſtulantes,

per multos & Petrum Ozgā, Præfectum Trebowlēſem, legatum, Excuſationibus aut dilationibus ducebāt.

Recuperatorius cum Turcis conuētus ad Buſſam, vulgò Cōmiſsia. Illic Turcæ multa

oppida vt diruerentur, postulant: Sed Polonis abnuentibus.

oppidorum. quæ quamuis essent nostra, tamen vt Cosacorum receptacula, dirui volebant. Aduersum quæ Poloni obstinati, cùm resoluere hoc facto vim imperij, totq; oppida alieno arbitrio donum dare abnuerent: mox proferuntur à Skinder-Bassa sui Imperatoris literæ. quibus ni Bersada oppidũ cis Axiacen, vulgò paruum Borysthenem, situm tolleretur, abire incæpto iubebantur. Ergo in id vnum, omissis alijs, Turcæ incumbunt. nec quia tutos se in posterum hoc damno sperarẽt, sed infensi oppido, præfecti claritudine, & proprio dedecore. Nam Basilius Bossy, strenuus militiæ, acribusq; in ea ministerijs præfecturam Bersadæ adeptus, crebris illinc aduersùm Turcas & Tartaros excursionibus oppidanos assuefecerat: nec multò antè, cognatum Præsidis superstitionum Turcicarum comprehensum, in vinculis tenuerat. Nostri in ancipiti, periculosam facilitatem, infectam pacem, siue omnia, siue nihil, Turcis concederẽt, reputantes: tamen velut tutiùs per detrimentum, quàm per bellum pax conficeretur, in oppidi vnius iacturâ haud grauatè consentiebant. Sed vnus metus omnes tenebat, ne aliena largirentur: Ducesque in Zbaras, quorum id oppidum erat, ne sese opponerent verebantur. Postremò à Zolkeuio Imperatore, vni ex primoribus negotium datum, qui Georgio Duci in Zbaras, Incisori tunc Regni, postulationem Turcarum referret. Nam neq; vlli ius in priuata cuiusquam bona erat: & opportunè tum Georgius cum tribus millibus militum suorum in castris aderat. Haud dubium statim Duci videbatur, hac conditione tentari patientiam nostram, & ex vno aliud peti. sed auitæ magnanimitatis memor, & quicquid publicè salutare non es-

Ad vnũ oppidum nomine Bersadã, cõtrouersia deuoluitur.

Idq; propter Basiliũ Bossy, clarum Turcarũ & Tartarorum victorijs.

Poloni quietem bello præponentes, ad id damnũ inclinant. Sed quia oppidum Ducũ in Zbaras erat: Ambigui responsionis, ad Georgium Ducem mittunt.

non esset, priuatim non suũ existimans. *Ne dij siuerint,* respondit, *vt per me vestra & Reipublicæ pax distineatur. deferam mox in planum Bersadam. patria illic causâ & curâ vacabit.* Inter hæc citatim præmissus Piascouius, ac intra viginti quatuor horas, quinquaginta millia passuum emensus, Bersadam aduolat. oppidanos persuasione aduentantis hostis territos, vt in tutiora sese recipiãt permouet. ac raptim quibus quisq; poterat elatis, noctu, vt iustum erat, per idoneos & secreti conscios, ab aliquot locis, oppido faces inijci iubet. Tum vbi publica priuataq; in igne consedisse certum fuit, subditus Turcisq; relatus rumor, quo fortuitum oppidi incendium adsimulabatur. Quam ad rem missi à Skinder-Bassa exploratores, cùm ex ignis violentiâ, cineres tantùm & vacuum campum remansisse nuntiassent, tandem velut fortuitus euentus controuersiam sustulisset, de pace tractari cœptum. Cæterùm populo ex oppido illo exturbato & profugo, alius locus à Ducibus in Zbaras datus. in quo subitis ædificijs exstructis, deducta noua colonia: quæ ab eius loci fluuio Bobroua etiamnum dicitur. Ita vnius Ducis, priuati dispendij contemptoris magnanimitate, nec malè inopi multitudini, & egregiè omnium voluntati consultum: qui magnus animo, nec minor hoc facto, quàm ex victoria triumpho, æternum magnanimitatis suæ exemplar dedit. quippe seipsum vicit, nec modò patriæ oppidum, sed & hosti affectum donauit. ne respectu quidem potentiæ suæ motus, in se potiùs, quos in hostem portauerat, effudit spiritus. Sed faciliùs adhuc à Turcis dissimulabatur bellum, quàm odium. Sub idem enim tempus, aliam arcem oppidumq; nomine Raskovv, Ducum in Ostrog, ad

Eius magnanima responsio & destinatio, Præmittit Piascouium.

Vt oppidum manu sua exurat.

Turcæ credunt fortuitò haustum.

De pace vlterius tractant.

Bobroua noua colonia, populo exturbato, deducitur.

Eodem tampore Tartari Raskow

 Tyram

oppidum, Ducum in Ostrog, vastant. Vanè, excusant tamen.

Petũt, vt Cosaci armis coerceantur. Nimiùm doloso cõsilio.

Tyram situm, subitâ Tartarorum violentiâ vastârũt: vanâ apud nos excusatione; cùm insolentem semper Scytharum gentem, etiamsi summâ seueritate regatur, in rapinas corruptam dicerent. Neq; adhuc duorum, nõ ignobilium armis bellicoq; apparatu, oppidorum excidio contenti, Cosacorum tamen iniurias, vt armis persequeremur, instabant; callido & doloso consilio, quos si nostri asperâssent, illi promissis à Cæsare prẽmijs libertateque, ad defectionem deinde in nos vertere, occultis literis, vt postea innotuit, conabantur. Sed Zolkeuius quantùm è Republica peteretur haud ignarus, corripuisse tantùm & ostendisse arma satis ratus, vltra non institit.

Quo Cosaci exacerbati, Turcarũ prouincias acrius infestant.

Ante-vrbia Constantinopolis incẽdunt.

Ex eo auctæ Cosacis in Turcas iræ: quas præterquàm castigatio imperatoris, & vulgata de excidio suo fama, fides etiam propè visi exercitus accendebat. Inde non portus modò & proxima maris, sed interiora vrbesq; Turcarum penetrare, premere, exscindere, cuncta incendijs, cæde, sanguine complere. quin non multò post suggressi Constantinopolim, Cæsarem venationi intentum trepidumque, fugâ intra mænia compulerunt, accensis circum vicis suburbijsque. quæ omnia tunc forte præsenti, ac velut per ludibrium, super firmanda fœdera misso nostrorum legato Otfinouio, à Turcis è propugnaculis mõstrabantur. Ita flagrantior quoq; Tartarorum vis.

Tartari Russiam sæpius populantur.

Hîc florẽtissimum Russiæ latus, infestis armis tenebatur, vrebatur: illic opulentæ Turcarum prouinciæ & vrbes excisæ, soloque æquatæ, à Cosacis, nostris iniurijs rependebantur.

Alter recuperatorius con-

Atq; cùm vetera vtrinq; redirent, iterum Zolkeuius postulatus à Turcis arbiter controuersiarum, insigni

uẽtus ad Orininũ.

signi non militum modò, sed etiam procerum manu, ad Orininũ haud procul Cameneco, statiua agebat.

Tartarorum intoleranda insolẽtia.

Zolkeuio iram Polonorum moderatur.

Astus hostium.

vbi cùm à Tartaris insolenti accursu turbaretur, repulisse propiùs suggressos contentus, eodem quo antea consiliorum tenore, vt pacẽ seruaret aut haberet, graui edicto, nè quis abeuntes insequeretur, omnes tenuit. Hinc in eum odia, & multorum suspicio, tanquam corrumperet victoriam: ipso etiam hoste, quoties Russiam popularetur, (bonis eius, notâ arte, intactis relictis) suspicione eum maiori onerante. quâ ille pressus, antea nec ausus, nec vt in tempore memorabo, ad vltimum satis cũctatus erat.

Rebelliũ legati, Osmanum Cæsarem aduersus Polonos impellũt.

Et ipse apertè fœdus violat.

Interea per Bohemiam, Vngariam, & iuxtà sitas Prouincias, in suum dominum feruebant bella: commodâ Turcis occasione, velut citiùs, dum alij occuparentur, cum nostris patrari bellum posset. Et rebellium quoq; legati Constantinopoli tunc degentes, propriâ causâ Osmanum Cæsarem stimulabant, haud perinde formidoloso sibi futuro Germanorum Imperatore Ferdinando, si nostri per acies distinerentur. Ita intentam iam diu in bellum Cæsaris curam, insuper in iniuriam perpullerunt, vt is repulso ab vrbe cum Regijs literis Otfinouio, ius etiam hostium, sacra legationis, & fas gentium temerarit.

Regressus ad Gratianum.

Gratiano publicolã induit.

Hic rerum nostrarum status, ad Annum Millesimum Sexcentesimum Vigesimum, cum Turcis erat; qui Gratiano (ad quem redeo) spem vt nouandis rebus anxiam, ita audenti paratam, monstrabat. Sed ne intentatis popularium animis, nostros frustrà turbaret, ad concilianda primùm Valachorum studia conuertitur. & vt erat exercito per mercaturas ingenio, maiori dehinc in omnes beneuolentiâ agere, comi-

tatem facilitatéque, grata barbaris, vsurpare, nobiliores cultiori in honore habere, iamq; cum primorib⁹ secretò, iam palàm apud mobilissimum quęque, ambiguè de Turca disserere. quandoq; duritiem imperij, pudendamq; seruitutem exprobrando, alios spe, alios gratiâ, omnes factionibus impellere; nihilque turbamenti quò aut ambiguos illiceret, aut prōptos firmaret, omittere: vt iam appareret, eũ socios quærere & partes. Neq; verò fugiebant ista Turcas, qui circumdatâ Gratiano, specie honoris, validiori quàm antea suorum manu: apertiore famâ, verba, vultum, tacitum etiam murmur, Constantinopolim, aucta omnia, ac velut in annales excepta, transmittebant.

Turcæ id aduertũt.

Gratiano Polonos ad recuperandam Valachiã stimulat.

At ille quātò acriora in se Turcarũ odia, & auersã Cæsaris volũtatem tacitis nuntijs persenserat: tantò celerando quod cōceperat intentior, offerre nostris Valachiam, instare, præcipuos quosq; exstimulare: *Irent aduersus terrarum ereptores. reciperent suam quondam Prouinciam, æquitate quàm bello, causa quàm armis. adesse sibi, si necesse fuerit, robur equitum, arma, viros, fidem partium: nec defuturas Valachorum cohortes, seq; in omnia promptum, seu ducem, seu exinde militem mallent.* Monebat simul necessitatis, vastitatem Podoliæ, Russiæ, notaq; lugubrium cladium nomina sæpiùs referens: innuebat meliorem esse belli, quàm quietis causam; & vbi suspecta pax, tutius bellum. tum ne vltrà talia per desidiam exspectet aut patiantur, adhortabatur. Et nostros quidem his & similibus, ad spem repetendæ dominationis erigebat: ipse autem, quamuis Valachorum comparata antea teneret studia: subinde tamen aduersa reputans, metu, spe, ratione, interdũ fluctuabat. Versabatur enim ante oculos, Turcarum intentum in se odium & sup-

Adhuc tamen anxius.

plicium,

plicium, fama crebris exploratorum rumoribus in dies fæcundior, fauor Valachorum nunc promptus, in periculo fortè languidus & fortuna ipsa, prosperis non ampliora promittens, aduersis nihil medium, sed extrema & præcipitia minabatur.

Valachos in conscientiam & rebellionem trahit.

Tandem, quod in factionibus securiùs succedere solet, vno crimine vniuersos obstringere, firmioresque ex conscientiâ reddere, parat. Neq; id ipsi in arduo fuit, apud gentem pridem ambiguam, tũ quoq; tributis & iniurijs Turcarum grauiùs quàm bello cōflictantem. Nam initio Mahometes modicum tributum Valachis, duo tantùm aureorum millia iusserat: mox auctum in annos, & sexaginta millium, vsq; ad Iuoniam eorum Principē, secutis Cæsaribus numerabatur. Factâ posthac contra eum Selymo Cæsari per Principem Transalpinæ Valachiæ, si Petrus frater dominationis potiretur licitatione, immensũm excreuerat: duplicatusq; numerus, centũ viginti millia aureorum, singulis annis ærario inferebatur. Nunc sublata ista, & quo nihil atrocius, auaritia in crudelitatem versa, quæ iure exigi non possunt, rapiuntur. non modus, non tempus exactionibus statum: sed libido tantùm Cæsaris, & Principi quod iubetur dandi necessitas. Vnde miseranda vbiq; rerũ facies. dispositi à Principibus exploratores, qui in opes cuiusque intenti, locupletissimos corripere, fortunis euoluere, rapere, spoliare, non sacro, non profano abstinere, sed cuncta in fiscũ cogere, nulla miseratione Principum, vtpotè exterorum, & quibus, pro retinendâ dominatione, ista est apud Turcas necessitas.

Tributa Valachorum sub Mahomete II.

Sub Selymo.

Nunc quomodo exiguntur.

Ergò postquam his recensendis Gratianus Valachos commouerat, audentiùs onerando, vetus etiam transi-

Gratiano transitionem ad

transi-

Polonos suadet. transitionis ad nostros consilium perficit. moxque æqua à Polonis semper imperata tributa, veterē amicitiam, rata pacta, constantem fidem, aliaq; conciliādo assensu opportuna memorando, tandem redintegranda ista suadet. *Nec ideò*, inquiens, *quasi minor sibi ad depellendum Turcarum iugum, in Valachorum virtute & armis esset fiducia : verùm posse optata, nullo domestico damno, externo periculo peragi. Nam si Polonorum aduersùm Turcam necessitatem, tot Tartarorum incursionibus, seruitia, ingenua, plebes raptim abactas, aliaq; scelera ob pernicitatem inulta æstiment : bellandum quoq; illis aut vetera toleranda. at dum Poloni arma sumerent, posse Valachos quietos in prælio, securos in periculo, postremò si pugna placeret, bellatores etiam in acie agere. Interea arma fortunamq; in integro tenerent, libertatem alienis potiùs telis manibusq; quàm proprio casu aleàq; tentarent. Visuros breui à Polonis reseratam Seruiam, Bulgariam, impulsasq; Turcarum vires. Iuuabit inde, aut securâ libertate in otio frui, aut armatos vestigiis vincentium insistere.* His & talibus alliciebantur Valachi, vt concupiscerent magis quæ suaderentur, quàm quod in rem esset cernerent. *Et persuadet.* quippe nostros statim interiora rectaq; in Græciam aduersus Turcam pergere, exercitum Danubium transgressurum fingebāt credebantque. neq; aliâ falsi-verique curâ, tanquam cunctari seruile, properare audendo regium foret, vulgi more post alius alium, quasi prudentiorem, secuti, obstricti mutuo fœdere, in consilium verbaque Principis iurauere, eò audentiùs, quò plus fidei afferebat falsa Gratiani miseratio, atq; gratior videbatur Princeps ipse, culpæ vel gloriæ auctor sociusque.

Osmanus in eum, & Polonos, Skinder-Bassam mittit. Vix paucis diebus, silentio pressam conspirationem, excepit confestim fama, statimque Osmano Turcarum Cæsari tulit. is accitum Skinder-Bassam ire properè, ferreq; in Polonos bellum, & Gratianū restrictum vinculis ad supplicium Cōstantinopolim retrahere iubet. At Skinder-Bassa, dum colligit copias, aduocat itineri milites comitesq; (nam & Gratianus aduersus pericula cautus, & Valachi fauore Principis imbuti, velut nouo bello aggrediendi videbantur) opportunum Gratiano persequendarum rerum tempus & occasionem dedit.

Gratianus id Polonis nuntiat. Is enim, cum simulatâ in nostros propensione, Tartarorum incursiones ante sæpiùs nuntiaret : tum quoq; velut imminentem apparatum indicio præueniret, continuus incitandis vocandisq; in Valachiam Polonis instare. *Ecquid adhuc cernerent, à Turca sperari semper pacem, haberi non nisi armis & prælio posse ? quanquam quid pacem ? cùm tot populationibus, continuum bellum, captaq; pridem Russia videatur ? Hærerent sanè quieti : sequuturam tamen necessitatem pugnandi quam fugerent.* Inde Turcarum consilia, constans & decretum bellum, præfectum exercitus Skinder-Bassam, & alia quibus accomodatiùs, ipse etiam sui anxius, alios terreret aut accenderet, aperit fingitque. *Auxilia contra eā promittit.* Insuper velut ferendo auxilio promptus, viginti quinq; millia armatorum, cōmeatum, opes publicas priuatasque, & cætera immodicè vt natura trepidantium, promittens, impellere, vt acceptis promptissimis occuparent Valachiam, euntiq; occurrerent hosti. *Vt ipsi occurrant suadet.* *hac solâ via Turcam fundi posse, fessum itinere, impeditum locis fluminibusq; : si ante ignaro superfunderent, quam ille collectum meditatumq; ostenderet bellum. denique si properarent, non vilem aduersùm Tartarorum colluuiem victoriam, sed castra Turcica, Valachiam ipsam, pretium laboris gloriaq; peti. at si consultarent, si cogitarent, tenere Valachiam & dimidium facti Tyrannum.*

Ipse in vtrumq; paratus. His & pluribus in eundem modum Polonos permouendo, ipse interea magnâ vi auri argentique, & pretiosæ

Diploma à Sigismundo Rege impetrat.

pretiosę supellectilis cōgestâ, diploma à Sigismundo Rege (quo præfectis & procuratoribus prouinciarū, liberum, quocūq; vertisset, illi dari effugium mandabatur) impetrat, velut aduersum fortunā prouidus, cæterum præsentibus diffidens, occultâ spe fugæ.

Poloni quoq; in bellum parati.

Interea crebrioribus in dies Turcici apparatûs nuntijs, per Poloniam crescebat fama: cui fidem facesq; verba Gratiani, & præteritorum euentus addebant. Nec iam dubitatum de bello.

Dubitāt

hæsitationē tantùm, pergerentnè in Valachiam, an in Polonia opperirentur hostem, attulit. Quibus enim abduci regno militem displicebat, non ambigua referebant quæ inde sequerentur.

An è patria propulsandū.

Orbari patriam fortißimorum virorum præsidio, opes priuatas publicasq; deseri, aliò nouißimam regni fortunam transferri; domi metum, pauorem, & in dubia spe, certa belli mala relinqui. atqui ad custodiam regni militem conscribi, non qui huc illuc traijciatur & bellum quærat. Si communis Mars, si promiscua bellorum æstimentur: satis tamen casuum, satis periculorū patriæ superesse, quamuis ea valido firmaretur exercitu. quid, cùm vasta & patens irrupturis hostibus relinqueretur? An festinandū cum Valachis vires & amicitiam iungere, vt primo quoq; tempore, toties experta ipsorum perfidia, inter omnia infesta & hostilia, in acie ferentes auxilium corriperet? Ita subsidio Valachis, ita obuiam hosti eundum, vt & illic tot funerum cladiumq;, & hic securitatis publicæ memoria cuiq; maneret.

Ad hæc & talia disserebatur contra: *Multū interesse, in suâ quis pugnaret terrâ, an alienam armis metuq; teneret. Domi à secundis præmium, cruorem tantùm hostilem, & sæuius redituram*

An in hostilē terram trāsferendū

bellum, ab aduersis propriam patriæq; captiuitatem imminere. at in aduersa ditione ruere velut solutâ compage imperium. quicquid enim mobile, seditiosum, odio vel metu occultum, mox ad hostium præsentiam ausurum est in bello, quod in pace concupiuerat. inde noua castra, inde ad manum militem, & quæ nunquam sperabantur affutura studia & auxilia. Credendum id Turcarum incrementis,

mentis, qui hoc pacto, ex paruo pudendoq; quadringentorum Scytharum secessu, ad eam quæ cernitur surrexêre magnitudinem. vna illis pugna Cappadociam, Pontum, Bythiniam, Asiam minorem, Pamphiliam, Ciliciam tradidit. vnius expeditionis impetu, Baiazetes quartus Imperator eorum, Macedoniam, Thessaliam, Phocidem, Bœotiam, & quæcunq; ad Bulgaros & Illyricos erant prouinciæ, in potestatem redegit. Habere nimirum hoc audaciam, vt solo euentu facilia demonstret, quæ segnibus ardua videntur, vtq; animo constant bella, quantò cuiq; illum acriorem, tantò alijs superiorem esse. Ardeat nunc euasteturq; vlterior Græcia, & castra Polona Constantinopolis immineant portis, aperturum & reclusurum bellum, varias tunc quoq; in Turcas mentes: quum alios libertas, alios tædium, graui superboq; domino hostes, atq; euntibus socios dabit. Verùm si neq; hæc adessent, iturus hinc est Polonus eques, religione, fide, moribus, amore sibi connexus. quæ verò contra legiones? qui milites? scilicet è Dalmatiâ & Illyrico coactæ Ianissariorum rapinæ, Scythæ, Saraceni, Epirotæ, mixtusq; ex colluuione diuersarum gentium exercitus: cui non lingua, non fides, non arma, non causa militandi eadem, ad breuem impetum validus, vbi sustinueris, aduersis dijs in fugam consternatus, vltra neque imperij, neque armorum memor. Atqui faciliùs fuerit tales in proprijs latebris opprimere, quàm domi, varijs frustrationibus pugnam eludentes, vincere. Deniq; legiones illic non milites. & vtrinque homines, vtrinq; corpora, exæquaturum quamuis impares ferrum, vnamq; victoriam instrumentum sequentis fore. quam non semper sanguine vel acie, sæpius deditione gentium, quandoq; & famâ parari. Proinde in mediam potiùs Græciam Thraciamuè auerterent bellum, quàm in patriâ per singulos annos immenso sumptu excitarent exspectarentq;. & miles hostili dehinc solo virtutem exerceret, quàm domi nitidus & quæstuosus militiam per oppida expleret. Neque sanè hoc pacto orbari patriam: quin remotius singulorum periculis hosti viam obstrui. Quid enim profuturum retentum etiam domi exercitum? si vastum nulloq; claustrorum interseptu munitum regnum, vix immenso milite custodiri possit? Quærendum tunc quoque bellum foret, & ad inferentem se, vacuis

milite

milite locis hoſtem, huc illuc vertendum agmen. at ſi in hoſtile ſolum inferretur miles, ſimul illuc iſta, ſimul fugam, cædes, cæteraſq; belli clades à patriâ tranſituras: communi equidem vtriſq; aleâ, ſed promptiore ijs fortunâ, quibus melior in bello cauſa. Fruſtra Valachorum inconſtantiam obiectari. quaſi non alij quoque aduerſam aciem ſtruxiſſent, & tamen qui diu hoſtes viſi, ciues & amicos continuâ ac incorruptâ fide hactenus haberi. Et Valachi, amicitiam, opes ſuas, potiùs cum ciuibus miſcerent, quàm ſi Turca præualeret, arma aduersùm eoſdem ferrent. Irent igitur & quantò Turcis, modeſtiâ, bonis artibus, causâ armiſq; præſtarent, tantò promptiùs & Valachorum fidem, & ex hoſte victoriam ſperarent.

Transferendum.

Zolkeuius primò renuit.

Accendebantur his multorum animi: quos Gratianus ſpe & pollicitationibus fouere ſuetus, acriùs impellebat. Immotus tantùm ad ea Staniſlaus Zolkeuius, ſupremus exercituum Dux, & Cancellarius Regni, ſtetit; non quia diffideret Gratiano, qui cautos etiam & prouidos permouerat, ſed adhuc inerat ſeni cauta cunctatio, illudq; vetus, *Omnia priùs conſilio experiri, quàm armis ſapientem decet.* At dum alij inſtarent, prælium poſcerent, velut rapturi bellum niſi ducerentur; ne quid etiam ad odium militis, qui periculi, dum cupit, quàm moræ patientior, haud multùm deinde cũctatus, audentiora ſuadentibus, acceſſit. Itaq; dum collega Staniſlaus Konecpolſcius, impiger armis, ingenſq; animi, vexilla ſignaque, & quicquid militum erat, deſtinatum ad locum colligit: ipſe interea, filiũ Ioannem Capitaneum Rubieſouienſem, iam inde à puero contubernio militari aſſuetum, componi itineri & prælio iubet. ſimul literas ad Sigiſmundum Regem, tanquam bellum approbaret, fatoq; prouidus occurreret, hunc in modum componit.

Poſtremò aſſenſit.

Konecpolſcius milites colligit.

Zolkeuij literæ ad Sigiſmũdũ Regẽ.

Fuiſſe olim eam mentem Sixto V. Pontifici Romano, & Philippo II. Hiſpanorum Regi, aliiſque Chriſtianis Principibus, vt Turcarum genus, regnorum tantùm & Chriſtianorum excidiis natum, ſociatis viribus, in terris ipſorum, armis belloque perſequerentur: niſi inuida magnis conatibus, mors Stephani Poloniæ Regis, quem ei expeditioni Ducem, vnanimi conſenſu, deſtinauerant, ſecreta, necdum adulta, quæ Senatui & Poloniæ Ordinibus proponerentur, conſilia interuertiſſet. Neq; etiamnum aliud domandæ fœdiſſimæ genti ſe videre vtilius, quàm ſi exercitus, in Prouincias Turcarum effunderetur. quippe quibus in appetendis alienis regnis ſumma audacia, in propriis tutandis par formido adeſſet. Cæterùm cunctatum ſe hactenus, ne fortiora conſilia ſecutus, atq; cum paruâ manu egreſſus patriâ, velut vno ictu exercitum abſumeret. Iam verò cùm Valachi inuitent, auxilia promittant, miles conſentiat, omnes vrgeant, non ſe vltrà detrectare diſcrimen; imò cuicunque & ſeipſum & filium vnicum offerre. Hoc tantum à Deo votis expetere, ſi aliquid ſiniſtri immineat, vt id ſuo potius filijque ſanguine & vitâ, quàm exercitûs, patriæque damno, pietur. ſolatium mortuis & præmium fore, ſi teneret Rex vtrorumq; memoriam: aut ſuperſtitem bello filium fortuna ſi ſeruaret, patris vicẽ in ipſo neu obliuiſceretur. Sibi enim iam actam ætatem, certum & decretum mori: hoc ſolum ſeni, feſſo laboribus & expeditionibus, relinqui, nouiſſimum ſpiritum domi inter contumelias, an in acie per fortitudinem effunderet.

Bari, 25. Aug.

Dein' pergit in caſtra.

Numero militum.

Talibus firmatus ad caſtra pergit. vbi datum iuſſu Konecpolſcij viæ ſignum, & militẽ in armis inuenit, mox acceptus in medium, ſigna ferri iubet. Quinq; millia militum erant: paruus equidem numerus, ſed ſi concordia adfuiſſet, cùm virtutis haud pœniteret, in ferendo quouis bello ſufficiens. Sequebantur Coſacorum duo tantùm millia. alij reuoluendo caſtigationes & odia, quibus acerbior in coërcendis ipſorũ aduersùm Turcas excurſionibus fuerat, quietẽ, gloriæ & gratuitæ militiæ præpoſuêre. Vix penetratum erat ad Tyram, agmenq; traijci cœptum: confeſtim nonru-

In Valachiã Poloni intrãt, 3. & 4. Sept.

non rumor, ſed trepidi vndiq; nuntij per Valachiam incedunt, Polonos iam terrâ potiri, ingentem exercitum rapi agique. quæ cuncta ſperata Gratiano, ſubditâ adhuc ab ipſo atrociori famâ, quò in cædē Turcarum ſe obſeruantium, Valachos metu vel merito Polonorum promptiùs impelleret, in maius attollebantur. Tū verò velut claſſico à Gratiano accepto, audentibus paucis, non populus modò, & parata alienæ audaciæ plebs, ſed equitum & nobilium plerique poſito metu incauti, tanquam deinde per flagitium apud Polonos fauori præmioq; propiores, in cædem Turcarum ruunt, ignaros trucidant. ſanguis, mors, vulnera paſſim. nec vlli moderatio aut finis; ſed permiſſa vulgò licentia, donec inuiſa gēs & ſatietas permanſit. Pauci tantùm Turcarum, quos fuga fortunaue ſubtraxerat, elapſi, per longinqua & auia, integri, pars vulnerati, Skinder-Baſſæ iam Valachiæ appropinquanti occurrerunt: ſimul Gratiani conſpirationem, Valachorum defectionem, noſtrorum irruptionem, vera falſaque in modum metûs & periculi attollentes, retulerunt.

Turcæ à Valachis cædūtur, 5. Sept.

Qui elapſi, Skinder-Baſſa occurrunt, & omnia nūciant.

Perueneratquoq; ad caſtra Polonorum de cæde Turcarum fama. quæ adeò militem mutauit, vt quaſi debellatum fuiſſet, contemptiùs inde vagari, prædā velut in hoſtili ſolo exercere, atq; diſciplinam, quam vtcunq; hactenus Turcarum timor, & Valachorum ſuſpecta continebat fides, remittere inciperet. Vnde alius & Valachis animus, cognita inſuper paucitate: non tamen propenſio in Turcam, ſed odiū in vtroſq; par; ex Turca, ſi præualeret, etiam metus. Verùm nondùm ſpretâ virtute Polonorum, neutri parti adhærendo, opperiri futura, atq; ex euētu bellantium, abnuere aut agnoſcere fortunam, faciliori apud victores excuſatione aut veniâ, decreuerunt.

Poloni audita cæde Turcarū ſecuri.

Valachi quibus adhæreant, hærent.

Gratianus quoque, qui incertum omiſerat an diſtulerat contrahere promiſſas copias, vbi minorem ſpe exercitū aduenisse, certiori nuntio accepit, vitatis noſtrorum caſtris, recta Chocimum conterminam Ruſſiæ arcē flexit. nec iā de imperio ſed de ſalute ſollicitus, quomodo per Pokuce, prouinciam noſtram fugâ in Germaniam euaderet, circumſpectabat. Sed occupauit Zolkeuius ea conſilia. inuitatum enim per literas, vbi nectere moras, necdum collectum militem, & ſæpiùs incerta vanaq; reſpōdere didiciſſet: id fortè quod meditabatur ſuſpicatus, vt veniret in caſtra ſeuerioribus literis admonuit. quibus ille territus, certo ſi abnuiſſet exitio, vltrà nec fugiendi nec manendi potēs, conſilium cui impar erat, fato permiſit. Itaq; nō multò poſt, paucis ſuorū comitatus in caſtra venit, auertendæ ſuſpicioni, lætitiam & gratulationem vultu ferens, animo anxius, & deteriora metuens.

Gratianꝰ fugā meditatur.

Sed eam impedit Zolkeuius.

Gratianꝰ venit in caſtra Polonorum, 7. Sept.

Suſpectabantur iam inde à Ducibus Gratiani & Valachorum artes: pars tamen ſanitatis erat illas premere, ne deprehenſæ à milite, quem confidentia, & ſpes donatiui à Gratiano, promptiorem ad officia dabat, turpem in caſtris ante prælium trepidationem concirent. Igitur Duces metum & noxam conſcientiæ Gratiano pro pœnâ ſatis eſſe rati, tùm eo in caſtris habito, Valachos ad ſe inclinaturos ſperantes, in ſimulationem compoſiti, omnia honorifica vt in Principem vſurpāt. adhæc ipſum & comites donis deuinciunt. adiectoq; conuiuio per epulas & vinolentiam, conſilia, copias, animum hoſtium ab eo expiſcantur. Sed non ideò incautus Gratianus, cuncta recondere, nume-

Cognoſcūtur, ſed premuntur à Ducibꝰ Gratiani artes.

Gratianꝰ benignè habetur.

Conuiuio excipitur.

Ille nihilominus

cautius, numerũ hostium extenuat

numerum extenuare; septem, nouem, octo millia Turcarum adesse, dicere, negare. Id plerisq; nostrorum suspicioni, pluribus audaciæ fuit. nec deerãt qui Ducibus instarent, vt versùs Techiniam & Belgradũ, (quò antea destinauerant) indeq; in Tartarorum sedes bellum ferrent. Sed Duces metu pauci exercitûs, simulq; Valachos aliquo victoriæ pretio in deditionẽ pertrahere volentes, gloriam potiùs retinendæ Valachiæ præposuerunt. Itaq; ire indè versùs oppidum Cetsoram, camposq; & locum, quem olim Ioannes Zamoscius insederat, occupare ipsis visum.

Duces mutant cõsilium de sede belli.

Galga, Kãtimir, cum exercitu Tartarorum veniunt. Valachi ad Turcas transeũt.

Aggregabãtur interea ad Skinder-Bassam magnæ Turcarum & auxiliariorum copiæ. aderat DialetGereus (quod secundo genitorum nomen cum Præfectura militiæ est) Galga, Chami Reguli Scytharum frater, & Kantimir cum ingenti Tartarorum exercitu. quin aliquot primores Valachiæ, ad Turcas profugi, exemplo, aliquos in deditionem & auxiliũ belli pertraxerunt. At Gratianus in castris nostrorũ iter & tædium ducens, non iam Princeps aut auxiliarius, sed belli tantùm causa, incertum, spe adhuc, an quia proditis quoquo modo nostris, tutiorem fugam vel meritum apud Turcam putaret, militem ad prælium & festinatos casus continuò impellebat. *Facilè*, inquiens, *oppressuros Skinder-Bassam, si improuisi longinquitate itineris fessum, sine Scythis inualidum, excursione validâ adorirentur. nam & fortes subitis terreri, & audaces fortunam iuuare sæpius expertum.* Acceptumq; vulnus nimiâ fiduciâ fuisset, nisi Duces cauti & prudentes, militem sub imperio & vexillis tenuissent.

Gratianus tamen turbat.

Figitur belli sedes ad Cetsoram oppidum, 12. Septẽbr.

Ventum deinde Cetsoram, missusq; cum expeditâ manu Odrzyvvolscius, speculatum consilia, animum,

mum,

mum, itinera, copiasque hostium iuit. alij ad expediendos commeatus, cæteraq; quæ in rem videbãtur dimissi. Zolkeuius verò ingressus dimensa olim à Zamoscio castrorum vestigia, sed diruto vallo, & humili fossa, ea reparare iubet. Mirũ, quàm fides Gratiani, & quia nulla eunti apparuêre arma, securum, ideoq; lentum ad obsequia dabãt militem. *Quid enim*, aiebat, *sibi à Ducibus decerni? nimirum vt nomine militiæ, cumulos terræ & fossorum operas accipiat? Propria militum arma manusq;. fœminis tantùm & imbelli vulgo fossæ & vallum salus. quibus cùm hostis deesset, abditos se aduersùm campos tenere Duces pararent.* Ast vbi ingenti tumultu, Odrzyvvolsciũ & hostes aduolare, aspectus famaq; eadem tulit: tum verò intendere operas, circumagere corpora, & vt trepidis rebus contingit, alter alteri præcipiendo, suamq; ignauiam obiectando, aduersis imperium desiderabant, quod prosperis datum non intelligebant. Deductum tamen postea opus minori trepidatione: quia nec barbari, turbare munitiones ausi, & quanquã vicino hoste, multitudinem tamen armorum, propinqui colles, arbustaq; occultabant. Signum deinde frumentatoribus tormento vt redirent datum. Pars regressi: plures onusti prædâ, aut palantes per agros, in manus hostium circumuenti venerunt. Iam quoq; flexus erat ad vesperam dies, nec hostis tunc certamen ausus, militem quiete, velut timoris indicio, ad futurum prelium acuebat, redibatq; remissa hactenus virtus, nocturnâ meditatione belli.

Ibidem castra metantur.

Odrzywolscius speculatum missus cõsilia hostium, cũ hostibus redit.

Illo die abstinetur vtrinque à prælio.

Orto die, Turcæ & Tartari, quò discreti manifestiùs spectarentur, sibi quæq; gens separatim, per turmas & vexilla compositi, stetêre. Illorum, octo millia, ad dextram, edito montis, qui Cetsoræ superiminet:

Hostes cõpositi per vexilla consistunt 16. Sept.

net:

net: horum triginta millia, supercilio haud procul distantis tumuli, qui Delidolinæ (sic loco à profundâ valle dicto) adiacet. Secunda fermè hora diei, ferocissimi cuiusq; nostrorum procursu, prospero euentu crebræ velitationes, in longum diei productæ: etiamq; ex fortunâ & irâ ardescentibus animis, infesta nostrorum signa in apertum effundebantur. Sed hostes haud fidentes suorum virtuti, frontem & latera relinquunt. inde circumgressi ad ripam Pruti, totâ vi, in leuis armaturæ militem, munitionibus castrorũ adiacentem, cui Valentinus Rogascius Moschouiticâ expeditione, iuxta ac paulò ante factâ in rebellem Vngariam irruptione, victoriâq; clarus præerat, incurrunt. Turbabanturq; densis Tartarorum cateruis leues cohortes: ni Dinophius bello strenuus, manuq; promptus, cum aliquot turmis equitum, citato aduectus equo, rem propè inclinatam restituisset. Tũ verò accensi meliore successu Velites, ne aut accepisse, aut desiderâsse auxilium viderentur, valido impetu connixi, quantò ferociùs accurrerunt, tantò acriùs in fugam pulsos barbaros disijciunt cæduntque. Iamque haud procul iusto prælio res fuisset: ni hostis nudato campo, exercitum in colles pristinos properè subduxisset. Id signum perculsi fuit, an ad astum cõuersi, incertum. Nam cùm apud Tartaros, cedere consilij potiùs, quàm formidinis sit, ita dehinc cautè pugnatum, vt nullus audentiùs in nostros effusus, capi vel cædi potuerit: sed velut simulato pauore, quasi nostros fugâ inescatos, & longiùs euectos dolo circumuenirent, refugere videbantur. Sensit ludibrium & astum Zolkeuius, signoq; receptui dato, ardorem & fortunã militis repressit. nec ille vltrà institit, cui se-

Velitationes.

Tartari in Velites incurrũt.

Dinophius cum suis erũpit, & pugnam restituit. Velites pellunt Tartaros.

Tartari retrocedunt.

Eorum consuetudo in pugna.

Zolkeuius receptui canere iubet.

cui sequẽdi desideriũ nox etiã & lassitudo ademerat.

Irritatus tantùm reducitur in castra. ac prosperis ferox, optando diem aduersus eludentes hostes, vltionem fremitu & iracundiâ explebat. mox velut ingrata veniret nox, quæ in posterum diem dubiam certaminis expectationem faceret, circumsistit Duces & Centuriones, oratque: *Ne pugnam differendo, abditos vltra in vallo, more fœminarum, tenerent. non enim fossam aut vallum sibi, sed corpora & arma in hostem data. neq; se in spectaculum fugientis hostis, sed in bellum assumptos. Igitur aut certamen sibi Duces, aut si quies placeret, emensis tot itineribus, maturum otium darent.* Et verò premebat Duces, præter militum preces, necessitas in loco, vbi nec sperare vllam opem poterant; & si diutiùs morarẽtur, annonæ propè inopia instabat. Sed quanquam magis suorum animis, quàm viribus fiderent: non ignari tamẽ, primis ausis, hosti metum aut fiduciam gigni, statuunt ostendere aciem, & dato die prælium incipere. Atque cum deliberabundi de crastino prælio, capita conferrẽt, fortè interceptus à vigilibus vagus è Tartaris adducitur: cuius indicio Cẽtum millia hostium adesse cognoscunt. Differre inde summam certaminis Duces Centurionesq; parabant: sed miles impatiens moræ, quatere arma, nolle requiem, optare lucẽ. Videret tantùm aduersos, ac si ab imperatoribus non daretur, se ipsum occupaturum tempus & occasionẽ pugnæ minaciter strepebat. Adeò tunc aut hostem contempserant, aut quòd tãtis prout referebatur copijs, suorum non restaurâsset fugam, nequaquam tãtum numerum adesse credebant. Ergo & Duces, ne aduersa militi cunctatio, audaciam, quam in victoriam fouisse par erat, eximeret: relicto valido à tergo

Poloni feroces.

Summã certaminis, in cra stinũ deposcunt.

Nec Duces abnuunt.

Cognoscitur à Tartaro captiuo adesse hostiũ 100000.

Sed non creditur.

castrorũ,quà fluuio diffidebatur prçsidio,postero die auidos certaminis in apertum hoc ordine producũt.

Instruitur Polonorum acies, 17. Sept. Vna & altera carrago, quas lixæ agerent, ex centum circiter vehiculis conficitur. vtriq; à tergo, frõte, & lateribus quatuor tormenta, insuper aliquot bõbardarum sarraca adduntur. Tum sic instructæ, (facto pediti spatio, quo inter vehicula & tormenta cõmodè reciperetur) ambæ duabus castrorum portis simul emittuntur: addito præcepto, vt pariter præcedentes, eatenus ex æquo progrederentur, quoad relictus in medio campus, succedentes sibi legiones, totumq; exercitum reciperet. Sed incassum imperia data. nã cùm Ducum alter, graui senectâ, vix omnia per se interuisere posset: alter vt ordo agminis in aciem adsisteret, emittendis cohortibus attenderet, aut plurium securitas vel audacia obsequium eximeret, sinistra carrago haud procul vallo substitit. dextra quoad manipuli explicabantur vltra quàm satis progrediens, frõtem, propriumq; latus, latè & longè nudauit. Adeò vt & vis tormentorũ, quæ ideò pro castris & carraginibus ad se versùs directa erant, vt quacunq; intrantem exciperent hostem, distantiâ lãguesceret: & quæ quadrata acies stare debuerat, laxatis ordinibus, dextrum cornu in enormem inutilemque mucronem porrigeret. *Nec hostes detrectant pugnam.* Vbi sic legionũ agmina stetêre fulgentibus aquilis armisque; Turcæ quoque & Tartari, à suis Ducibus, vt nouo semper & coniuncto orbe, frontem lateraq; incursantes, pari vi & velocitate nostras acies rumperent, simulq; recurrerent, in densos cuneos compositi emittuntur. quo tantum valent genere pugnæ, vt quâcunque parte perculêre, impetu suo, sustineri nequeant. Atq; quà frontem dextrum-

dextrumq; latus infirma conspexerant, illic truci, ac tum primùm quod nunquam credebatur, immensóque agmine incumbunt.

Excipiunt hanc nostri intrepidè barbarorũ vim, primoq; impetu aduersos impellũt trudũtque. atrox inde Tartarorum cædes, nec minor tormentorũ fulmine à Theophilo Sẽbergio, è dextro maximè cornu, in temerè effusos edita strages. *Theoph: Semberg.* passim corpora & laceri artus, equorum virorumq; aceruі, & per ipsa mortuorum vulnera viuorum pugna: vt propè difficilior hostibus, per suorum cadauera, quàm per confertos exercitus fieret transitus. Sed ea nostris non diu durauit fortuna, mox enim ab eâ parte, vnde tormentorum globis obruebantur, amoti hostes, in media, patenti & innoxio campo, irrumpunt. Ibi verò plurimus vtrinq; labor, consertis propè manibus, & gliscente irâ; barbari hâc illâc impetere, dein eludere, cedere, mox circumactis equis recentique cuneo remeare: nostri animis adhuc ferocibus propinquos & aduersos sternere, cõiuncti aut orbe facto propulsare: dein gradu moli, postquam nec virtus nec arma proderant, quòd nudati subsidio tormentorũ, & hostes plures & plures ingruerent, ad castra euadere. Tũ *Zolkeuij duo.* inter primores duo Zolkeuij inclinatam rem erigere parantes, infestis hastis in confertos prouolant, totumq; secum dextrum mouent latus. sed ardentiùs quàm cautiùs illati iuuenes, obruti ibidem telis, haud inglorij, equis defluxêre. Nec segniùs fronte, vltima ausus, arma gradumque miles retinebat; verùm laxatis semel ordinibus, haud multùm ibi quoq; proderat virtus: fors cuncta miscebat, & strenuissimi quique dum acriùs pugnam cient, Wrzescius, Goslicius, Ko- *Wrzescius, Goslicius.*

 valko-

Kovalkouius, Dinophius. valkouius,non incelebres Centuriones cadunt. Inter quos Dinophius disiectâ cohorte, cum aliquot tamē militum necessariâ fortitudine, voce, manu, vulnere, sustentabat pugnam. Pulchrum quoq; erat in sinistro latere Ducem Korecium videre, haud ita multùm Constantinopoli captiuitate elapsum, per Turcarū centuriones circumferentem truces vltricesq; oculos: nuncq; singulos prouocantem, nunc increpantē omnes. deinde cùm sustinere iram non posset (hostes enim illic nostros confertos, tutosq; loco, suggredi propiùs non audebant) obuersis cominus armis acriter prouolantem. cum quo duos quoq; eodem latere, Chmielecium & Ferensbachium, virtus pariter exemplumque, in hostes agebat. Ita præliū grauius iterum & atrocius vbiq; crescebat. non enim solum Præfecti copiarum, Nicolaus Strusius Capitaneus Haliciensis, Martinus Kazanouius, Alexander Balabanus Capitaneus Vinnicensis, Ioannes Tyskeuicius, & alij, ad regendam consilio rem affuêre: sed suismet ipsi corporibus dimicantes, miscuêre certamina. nec quisquam postea procerum hac aut illâ acie incruentus excessit. Quin & Konecpolscium totâ volitantē acie, fortuna magis deserebat, quàm virtus. sensit solutum agmen, accurrit: retrahere carraginem dextram nititur, iam frustra, formidine dilapsis aut abditis calonibus. neq; etiam confusa huc illuc vehicula, ampliùs explicari, aut abiunctis equis moueri loco potuerunt. Ille tamen constantis Ducis, & fortissimi militis, officium non deserere, accurrere, adire, hortari, auxilio, exemplo, laude. Post vbi dextro cornu vexillarium circumuentum à globo hostiū videt; velox inter tela se immergit, duobusq; manu obtruncatis,

Dux Korecius. *Chmielecius, Ferēsbachius.* *Strusius. Kazanouius, Balabanus. Tyskeuicius.* *Konecpolscius.* *Signum & signi-*

catis, signiferum & aquilam seruat. Prælium deinde varium, anceps: his, rursùm illis exitiabile. nunc vt cuiq; virtus aut audacia prorumpere vel reuehi: nūc sine cura regentium, alter alteri opem ferre vel accipere, non sanguinem, non vulnera morari. quoad deficiente die & viribus, obscuro iam noctis, fessi castra repeterent. Producebat tantùm in dextro cornu prælium desertus pedes, quem difficili effugio implicitum, vehicula tormentaq; tenebant. sed nec ipse spe aut viribus par, diu vim tenuit. multi illic capti cæsique: cæteri vano impetu, quâcunq; exitum ostēderat spes, sese eijcientes, à tenente circùm omnia hoste interiêre. Vnus Almadi Vngarus, præfectus peditū, cum viginti & aliquot insuper suorum, duplici vulnere saucius, cuneo viam ad castra fecit. Tardè post eū Sembergius, diu aduersos iaculatus, dein ab omnibus desolatus, per bella tamen & aduersa multùm exercitus, eoq; tunc etiam interritus & in periculo sapiēs, solus, immixtus ignarusq; hostibus, audaciâ & errore euasit. Cæsa eo die hostium tria millia & quingenti: maior numerus vulnerati. Nostrorum trecenti quinquaginta desiderati. duo tormenta tempestiuè subducta, reliqua quæ erāt cum dextra carragine, & ipsa carrago amissa. Stetissetq; haud dubiè sine sanguine & damno nostrorum victoria, nisi quę communis est militum querela, illorum qui carraginibus præfuerant, adfuisset audacia vel temeritas.

ferum seruat. *Prælium varium.* *Almadi.* *Sembergius.* *Numerus cæsorum.*

Sedato prælio, grauis receptos intra castra milites timor incessit, nullo nouo periculo, nisi quòd peruigilium & tenebræ, diurnam difficultatem in metum & curam intendebant. Fatebantur enim, nunquam pertinaciore pugnâ cum Tartaris conflictum fuisse, & ni

Nouum malum.

& ni eoſdem retrò nox & fortuna egiſſet, verſatam in diſcrimine ſummam rerum. à quo etiamnum haud procul abeſſe, vndiq; clauſos, nullo patriæ ſubſidio. *Vnde enim poſthàc pabulum equis, alimonia militi, aut alia quæ ex otio aut neceſſitate caſtrorum parantur? Nempe obſeſſis, ac velut captis, ſupereſſe tantùm mortem, ac æternam obliuionem, quã immenſa illa Tartarorum vis aut fames adijceret.* Recurrebat

Omina viſa, intrando in Valachiam.

præterea infauſtus in Valachiã ingreſſus, quẽ effuſus tunc in profluẽtem Neſtrum nitratus puluis, & cùm moueretur agmen, nullâ violentiâ, ſignum imperatoris fractum, portenderat. pluraq; alia, quæ ſecuritate neglectâ, timore, vt Dei ira, vt omina, vt fata reſumebantur. Inde non metus iam per caſtra, ſed pauor & infelicis belli execratio. cui extractâ quomodocunque nocte, nouum dies & Gratianus flagitium

Gratiani ſcelus.

addit. Cùm enim ipſe diffidentiâ præſentium vereretur, ne traditus Skinder-Baſſæ, ſupplicio ſuo, metum ſimulq; belli controuerſiam componeret: remedium periculorum ipſa pericula ratus, eò acriùs inſerere ſe trepidantibus, vrgere metum, aggregare pericula, ſuadere fugam, oſtendere viam. quam ſi ſe duce & comite capeſſerẽt, immunes à periculo, breui aut recto itinere per Pokuce, aut obliquo per Trãſyluaniam, penatibus ſuis redderentur. Alliciebantur his faciles per metũ quorundã animi, nec vitæ poſtea nec gloriæ compotes: incedenteque peſtiferâ per caſtra lue, cupidiſſimi quique in ſcelus aggregabantur, cœcâ ſpe vitæ, nullâ pudoris curâ.

Gratianus fugit.

Iamq; nox teterrimo facinori opportuna aderat: & Gratianus ad præterfluentem amnem præcurrẽs, primus viam fugæ exemplumq; dedit. Fluuius is ponè terga caſtrorum decurrebat, quondam Hieraſſus,

nunc

nunc Prutus dictus: altero littore tenus, ſylua Fagetulana, accolis Bukowiná dicta, quòd eius arboris frequens fœcundaq; ſit, imminebat.

Bukowiná ſylua.

Illuc ergo Gratianum ſecuti, quà cuiq; proximum, ſeſe proripiunt, lugubri ſpectaculo, & obuiâ pœnâ. cùm alij vadorum ignari, præalto & ſubdolo amne haurirentur: alios denſi raperent traherentq; vortices: aut ſi qui in alteram partẽ elati fuerant, ſtatim à Scythis & Valachis, in ſyluâ, ipſiſq; latebris, trucidarentur. Duces cũ Centurionibus, accenſo per caſtra clamore tumultuque, vnde, aut à quo eſſet, ignari, hoſtiumnè an domeſticum nefas, quà abeuntium vocantiumq; ſuos clamor vocabat, feruntur. Dein' cognitâ re, cùm fruſtra reuocare fugientes, nec imperio, neq; auctoritate, ne precibus quidem & manu valuiſſent; amnis, hoſtium ſæuitia, & proprium cuiq; periculum, quò minus maior pars effunderetur, obſtitit.

Gratiani exitus.

Gratianus equo in alteram ripam elatus, exitium quod euaſerat, ad breue tempus latebrâ diſtulit. exceptus enim miſericordiâ vnius Valachi, eiuſq; tugurio abditus, claritudine infauſti Principatûs, ſpe pręmij & perfidiâ eiuſdem Valachi trucidatur.

Alexãder Gratiano ſucceſſit.

Sed Alexander, Princeps deinde Valachiæ, caput eius ſibi delatum, non præmio, ſed ſimili in proditorem vltione penſauit. ſolito Principibus metu, & ad futura munimento, ne quis ſimili facinore, paratum ex diuerſo apud alium, præmium etiam ex ſe ſperaret, aut peteret.

Caſtra accenãtur & diripiuntur.

Interea calones, lixæ, & qui fortunam vbicunque inueniunt amant, dum vigilias, ſtationes, caſtra propè relicta vident, irrumpunt contubernia. ſarcinaſq; militum, tabernacula Ducum, & quicquid vſpiam ſpẽ inuitaret ſcrutati, omnia vt prædam, aut ſpolia inter

ſe rapi-

ſe rapiunt. direptis potioribus, reſiduo faces inijciunt. deſperato fortaſſe aliorum reditu, aut populatione velut fortuitâ ignis, raptûs velamen habituri. Neque enim vllus obuius, aut moderator licẽtiæ aderat. pars comitatu, vel ſimili officio cum imperatoribus occupati: pars fugâ, aut timore dilapſi. atq; tunc primùm ad ferendam opem confluebant, cùm magnâ iam caſtrorum partem flammâ adeſam, & ni extinguendo anteirent velocitatem mali, haurire cuncta incendium cernerent.

Miſerãda omnium facies. Redierunt tandem in caſtra, multi inuiti, plures nocentes. quò cùm intrâſſent, miſerabilis commilitonum memoria, præſenſq; caſtrorum deformitas, adeò pauentes confuderat, vt etiam à Centurionibus impulſi, non progredi loco poſſent, non tutari vallũ, non animo, non linguâ, non auribus competere. Victorum tantùm aut captiuorum habitu, defixo in ruinas & buſta vultu, ſtabant, lugubri per omnia proſpectu, velut reorum agmen, & funebres exequiæ. Ipſe Dux, calamitosâ ſenectâ, ante lacerum & ſemiuſtum tentorium, raptus, defectionem, quid caſtra? quid ipſe promeruiſſet? quem deſeruerant, deplorando, nocentiores faciebat: eò impenſiùs, quòd ne tum quidem vecordes conſciẽtiâ, odium in Duces & Cẽturiones ponerent, familiari militum conſuetudine, culpam quâ deliquerant, cum inuidiâ rerum rectoribus imputando. Fecerantq; vt & Duces timerent cõtumaciam eorum: hactenus incerti, periculoſiornè foret ſeueritas an clementia, inter tot infectos, quaſi valetudine & contactu. neq; tamen vllus in iudicium vocatus, diſſimulãtibus integris, paratâ fortaſſe apud nocentes aut conſcios maiori peruicaciâ. Atque niſi vlteri-

vlteriùs Duces & Centuriones, ſalubri cum Skinder-Baſſa tractationum ſimulatione, confuſionem illam excemiſſent, ſimulq; hoſtium vim cohibuiſſent, haud procul iam ab exitio aberant. *Prudẽtia Ducum.* Quanquam & tunc, Deus ipſe, fortunaq; gentis, ipſos tutata eſt, quæ Turcis Tartariſq; aliam potiùs mentem, quàm hoſtium dedit. Adeò dum varijs fruſtrationibus per octo dies eluderentur, nulla ſpes, non potiundi modò, ſed ne adeundi quidem caſtra Polona animos illorum cœpit: ſed fortè confuſio ipſa procul viſa, flammaq; piacularis caſtrorum, terruit tenuitq; volentes; vt in vaſto & deſerto campo, inter tabem pecorum, hominumq; deſides, tempus tererent. donec ſidente paulatim metu, quà Ducum, quà præfectorum, aut quicquid caſtrorum ſincerum erat, curâ, obſequium etiam noſtris, & parendi amor, quod ſolum ipſis defuit, cùm virtutem non argueres, pararetur. Tum ergò vbi iam æqualiùs & reuerentiùs regi poterant, iactatâ ſæpius per præfectos irritis nominibus ſpe pacis, Imperator concionem claſſico aduocari iubet. quæ vbi frequens aduenit, ipſe cùm dignitate aliâ corporis, tùm ſenectâ maieſtatem præſeferens, filio, primoribuſq; proſequentibus, proceſſit. Mouit milites præſentia viri, memoriaq; fortunæ & virtutis eius. cùmq; ſermonem expectarent, diu quoq; Dux tacitus ſtetit: haud perinde iudicio vel ſeueritate, ſed dolore victũ apparebat loqui non poſſe. Poſtea quaſi à luctu requieſſet, collecto animo ita orſus eſt.

Oratio Zolkeuij ad milites. *Si eam, quam ex obſequio & virtute exercitûs mei gloriam capiebam, incorruptam quandoq; à me retineri dijs cordi non eſſet: maturam ante & ſine noxa mortem mihi exoptabam. tunc enim vitæ ſocia, & mortis comes, eadem gloria fuiſſet. Nunc verò eò*

me longa vita, & infelix ſenecta traxit, vt tot malorum exercitui meo conſcius, vix morti honeſtæ locum reperiam. Satis, ſatis, ne hucuſq; durâſſem, honorum mihi, nimium vitæ fuit: mori me pridẽ, aut ſi ſegnis mors erat, deponere hoc imperium oportuit. Neque enim vbi fuerim ſcio. an apud milites meos? quibus proiecta Ducum auctoritas, deſertus hoſtibus Imperator. an in caſtris? quæ lacera, deuſta, ſpeciem nunc horrendæ vaſtitatis habent. Atq; ego procul iam iſta amoueo; neque in vos facinus vulgatum volo. Illorum ſanè is furor & amentia ſit, quos à contactu veſtro vltor ſegregauit puniuitq; Deus: vt tamen illorum tantùm ſit, à veſtra virtute expectatur, ſine quâ nec dolor inuidiaq;, ab imperatore veſtro, nec à vobis alienæ culpæ ſuſpicio aberit. Equidem meminimus, fatemur; pugnâſtis ſtrenuè, ſoli in acie, ſoli in caſtris manſiſtis. hæc tamen quæ nobis palàm, cæteris in occulto ſunt: & niſi eadem nouo decore, ferro per confertos hinc egrediendo hoſtes, demonſtratis, quis credet, aut ignoſcet? Videtis non aliud, niſi fame & ſiti pereundum ſit, quàm vt hinc abeatis relinqui. Abſoluite igitur neceſſitate virtutem veſtram, atque iſtud adhuc adijcite, facite eos qui vos deſeruerunt, victoriâ vel morte nocentiores. Non hoc refero tanquam perituris: ſed etiamſi cadendum eſſet, ideo vobis acies, ideo tela, ideo hoſtes datos putarem. Nunc cùm vos conſidero, cùm facta veſtra æſtimo, non mortem, ſed pulchram & ſpectabilem victoriam à vobis expecto. Nam ne ignoretis cum quibus hoſtibus vobis res futura ſit, veſtra decora recenſete, veſtros oculos interrogate. Ij ſunt, de quibus viginti & quinq; retrò ab hinc annis, duce Zamoſcio, memorabile decus, domos ad coniuges & parentes veſtros retuliſtis. ij, quorum cineres oſſaq; hoc ipſo in loco deuicta calcatis. Et iſte vos circumſtans ignauorum eſt ac metuentium numerus. quem per hos dies deſidem, ne caſtra adoriretur, ne malis veſtris exitium adijceret, timor propriaq; deſperatio tenuit. Sed quid ego hæc recenſeo? non tantùm milites decus de hoc exercitu, toties victo, cæſo, fugato, quantùm gloria ſeruandæ à vobis patriæ æſtimanda eſt. Quæ enim alia ſunt domi, niſi vos vincitis, caſtra? quis alius exercitus? pro Patriâ, pro ciuibus, pro coniugibus & liberis veſtris, vobis decertandum eſt. & niſi perrumpitis hoſtem, iam intra pa-

intra Patriam erit: per vrbes, per prouincias veſtras, ferro & igne graſſabitur. Oſtendite ergo Regi, & Patriæ, quales vos ſibi milites ſepoſuit, quibus acies, arma, incolumitatem propriam commiſit. non enim relicti hîc eſtis, ſed electi, vt vincatis. En ego imperator veſter clarà voce in prælium voco. En ſi aut hauriendus, aut dandus eſt ſanguis, primus caput hoc in omnem aleam lubens deuoueo. Vobis ſi idem eſt animi, mecum quoq; arma & manus expediendo, approbate nunquam vobis aut in victoriam, aut ſi perire etiam neceſſe fuit, animos in mortem defuiſſe. Hoc me tantùm dolore inuidiaq;, hoc vos quicquid hactenus auſum temeratumuè, alienâ culpâ abſoluerit. Conſtantiâ orationis, & quia experta difficultas ſpem omnem inciderat, terruit ſimul audientes, & accendit. nihilq; (vt poſtea fatebantur) adeò confirmauit, quàm vultus imperatoris impauidus, voxq; nulli periculo cedens; vt appareret, multùm in illo ſenili pectore, nõ conſilij modò, ſed etiam virtutis virere. quod ille nequaquam fefellit, ſublatoq; à concione clamore, vt in hoſtes duceret, facilè poſtea demonſtrauit, validiorem Duce & obſequio, quàm numero & ferociâ, rem ipſorũ eſſe.

Milites reſumũt animos.

Igitur vbi ſatis animos militum explorauit, iij. Kalendas Octobr: vniuerſum exercitum vallo munitionibuſq; educit. Frõte & tergo tormenta, medio currus, vehiculaq; ſeptem ordinibus inceſſerunt. hæc antepoſitus proprijs ſignis cingebat miles. introrſum impedimenta & equi recepti. quippe ſolum tunc in pedite robur, quia procurrere reuehique non ſanè tutum, ne diſtraheretur paucitas. Poſtea optimus quiſq; ad periculoſiora loca conſtitutus. Korecio & Ferenſbachio ordo primi, Kaſanouio medij agminis committitur, homini militari, & qui ampliùs triginta annis, aut miles, aut Centurio, in caſtris fuerat, eoſq; ipſos milites, & fortia facta eorũ nouerat, ſubindeq; memo-

Poloni itineri & prælio cõponuntur 29. Sept.

memorando animos illorum accendebat. Szembergio tormenta & extremum agmen permiſſum. His ergo ita prouiſis paratiſque, flexo iam ad veſperã die, exercitum Zolkeuius ſignaq; itineri mouit. Hoſtes quoq; per aliquot dies nequicquam deſides, & tractationibus tantùm deluſi, cùm præter opinionem armatos ac velut auctos viribus abire cernerent, repẽtè circumfuſo toto virorum equorumque agmine, quacunq; eunt perſequi, laceſſere ad pugnam: primò obequitando prouocandoque, deinde per occaſionẽ huc illuc irruendo, poſtremò irrito vndiq; conatu, diuiſis inter ſe copijs, pars inſectando agmini relicti, pars prægreſſi, quâ mediâ nocte per fluuium noſtris eundum erat, tranſitum occupauerunt. Et turbabãtur primo impetu, fluitãtes, labanteſque lubrico, noſtrorum ordines: mox tamen totis corporibus conixi, ruperunt continuaueruntq; viam.

Ab hoſtibus tota nocte fruſtra infeſtantur.

Sub ortum ſolis conſtituta ſigna, ſimulq; cœptus dies truci clamore, horrendoq; barbarorum ſono, qui pertinaciter contra circaq; ingruendo, obruere ac obterere paucitatem nitebantur. Sed cum obſequio & reuerentiâ Ducum, non fortuna iam magis, quàm virtus pro noſtris ſtabat, pulſiq; ingenti tumultu hoſtes, tempus etiam transferendi caſtra tutiorem in locum dederunt. Cœptum iterum primis tenebris iter, vt aliàs inquies, turbulentum. nam præterquàm quòd continuò ſub armis enitentem exercitum paludes monteſq; fatigabant: crebra quoq; prælia, prouiſa, ſubita, per ſaltus, per ſyluas, ſæpiùs in modum latrocinij, nec milites, nec Centuriones, nec Duces, remittere laborem permittebant. Neq; hæc tantùm, ſed etiam omninm incertos, nocturna ignoratio, ictus,

Luce prima metãtur caſtra 30. Sept.

Iter ingrediuntur.

ictus, ſonitus bellantium, accurrentium, euntium, à tergo, à fronte, repercuſſæ voces, huc illuc diſtrahebant turbidis clamoribus. Et cùm eadem continuò acciderent, tamen velut aſſueti malis, obſtinato ad mortem aut victoriam animo, conſtanti gradu ad lucem proſequebantur iter & prælium.

Primâ horâ diei, profundam vallem intrantibus, vix ſpatio conſiſtendi dato, quietem rursùm exemit Skinder-Baſſa. ſperans enim illic ingenti ſuorũ agmine, ac pulſu ſonituque, velut nube operire ac ſuperfundere feſſos, omni ex parte illos aggreditur. Sed nihil & ipſi territi, in orbem ſe colligere: ad omnes partes pugnam intendere: donec fortiter ſuperato impetu, mox etiam ingenti ſtrage ſubeuntes pellerẽt funderentque. Tunc verò nequicquam & cum damno tentatâ aliquoties oppugnatione, cùm vis negligeretur, differendam, potioremq; dolum Skinder-Baſſa ratus, fictâ modeſtiâ ad Duces mittit. *Poſſe*, inquiens, *de reditu ipſorum conditionibus tranſigi: nec committendum vtrinq;, vt tantum egregiæ pubis, fortiſſimorumq; militum, nullo ſanè pretio ſternatur. Non enim interneciuum cum Polonis geri bellum, & ſatis quoque ſibi gloriæ partum, ſi temerè occupatam redderet Cæſari Valachiam; & ipſis abundè acceſſurum, ſi nondum victi, oblatâ ab ipſo hoſte pace, belli ambigua, nec ſibi ex omni parte ſimilem fortunam, incruentis potiùs conditionibus, quàm armis componerent.* Neque Zolkeuius aſtûs imprudens fuit: nonnullâ tamen quieſcendi ſpe ac neceſſitate, cùm per continuos labores exercitus propè fatiſceret, negotium exequendarum tractationũ Chriſtophoro Druſbicio mandat; perito Turcarum linguæ, ſimulq; gnaro, quàm fruſtrà, & cum periculo proficiſceretur.

Skinder-Baſſa nequicquã oppugnat caſtra, 1. Octob.

Poſtea vt ſecum cõditionib9 tranſigatur, petit.

Mittitur ad ipſum Druſbicius.

Ingens Turcarũ aduersus Polonos impetus, 2. Octobr.

Hostes enim detento eo, diem tantùm illum noctemq; morati, dum nouæ copiæ quæ ab ipsis iugiter accersebãtur, aduenirent, primâ vigiliâ i,ngenti mole, oppugnatũ castra Polona subeunt. ibi statim magnã vim sagittarum superfundere, perfringere pertinaciter stationes, inferre se munitionibus, lacessere, circũgredi, occurrere, clamore, sonitu, impetu. Aduersùm quos nostri præsentibus animis, nil temerè aut trepidè, ad omnes aditus, quà signa ferri, quà hostes ingruere videbant, Centurionibus accurrẽtibus adhortantibusque, cæde ingenti irruentes excipiebãt disijciebantque. Atq; peractum prælium, tum aliàs, tum maximè eo die fuisset, ni Tartarorum cohortes recentes & ad fugiendum aptiores, quà equorum velocitate, quà armorum habitu, statarium grauemq; armis & labore militem, celeri fugâ elusissent. Ita fugatis ad breue tempus hostibus, sub occasum solis, quia haud multum diei post pugnam supererat, Zolkeuius suos iterum, simulq; hostes mouet.

Sed irritus.

Neq; tamen in crastino cessant, 3. Octobr.

Prosequuti enim totâ nocte euntes, concursationibus fatigabant magis, quàm conserebant pugnam: donec adulto iam die, tumulum statiuis nostris imminentem adepti, validiùs subiectos incesserent. Sed nostris tantum iam animorum aderat, vt lixæ etiam calonesq; cursu in summum cliui enixi, primo impetu, penèq; vno agmine, effusos pellerent. Nec tamen desperabant de victoria hostes: sed equorum virorumq; nouis ac nouis aduentantibus copijs, proximâ nocte prosequuti sunt euntes. Et nostri laboribus, inediâ, diurnis nocturnisq; vigilijs, fessa ægrè trahendo membra, corpora tamen animis, animos spe sustinentes, ibant non solùm per aduersos hostes; sed vias eti-

Militum calamitas.

as etiam visu & memoriâ deformes, cùm ab impotẽti hostium irâ, quàcunq; irent, villæ, vici, agri, diuina humanaq; omnia vrerentur, popularentur: aut si quid frondosi herbidiq; relictum ab ipsis fuit, id exorta eo tempore vis locustarum ambederet, fœdaretque, sanie, odore, contactu.

Pertinax oppugnatio castrorum, 4. Octobr.

Deficiente deinde nocte, immensam dies planitiẽ vimq; hostiũ euntibus aperuit. Longè ac latè ex aduerso & vndiq; fusis agminibus, aspiciebantur pleni hostium campi, terra aquarum egẽs; & qui haud procul nomine Reut, tenui alueo præterfluebat amnis, insessus ab hostibus, quò potus & aquatio prohiberetur. Locus quoq; ipse, ex prægressa æstate, incendijs torridus, in os, in oculos, non puluerem modò, tetrumque halitum, sed etiam cinerem à longinquo, cùm quid venti motum esset, & adferebat, & impulsus motu hostium, velut nube obtendendo cœlum, solem eripiebat. Adeò vt neminẽ fuisse crediderim, cui oculis potiùs, quàm ratione pensanti, modò suorum inopem paruamq; manum, modò ingentes hostiũ acies, effugere captiuitatẽ aut mortẽ creditu facile videretur. Igitur magno illic tumultu concurritur, & frõte, & lateribus, & vndiq; hostes ruunt; coëundoq; simul, in continenti agmine septos, nunc sagittas iaculaq;, emittere: nunc inferre se munimentis: quidam arripere currus, dirimere carragines, & aduersùs resistentes cominùs niti. Nostri contrà, proturbare telis, pellere gladijs, tormẽtis disijcere. illis diu optata, si paululum adhuc tetẽdissent, victoria; aut si omisissent, insignitius dedecus & flagitium: nostris, dura seruitus, & extrema salus, addunt animos. nec vulnera iam aut sanguinem morantur, vir virum amplexi,

plexi, prehenſant tela brachiaque; & exſpirātes cum integris cadunt. Neq; tamen peruaſerunt hoſtes: ſed fœdius quàm accurrerant pulſi, non pugnando tantum perierunt; ſed cùm in confertos, propèq; ſubeūtes tormentorum hiatu, à Theophilo Szembergio qui ijs præerat, magna vis plumbearum glandium effunderetur; ſuomet ipſi certamine, terga impedientium fugam, cædebant prouoluebantque. Noſtrorum, ſex tantùm pedites, audentiùs fugientes ſecuti, circumuenti, ſagittiſq; confixi, cęteros ad obſequium exemplo firmârunt. Exhauſtâ ſic die, nox deinde quietum iter dedit.

Polonorū virtus & conſtātia.

Tartarorum inſignis clades.

A Polonis ſex tantū pedites amiſſi.

Poſtero die, propè fluuium Kobiltam noſtri conſederunt, intēti interim paratique, ſi quid hoſtes mouerent: verùm ex illo die validâ abſtinuerunt oppugnatione. concurſationes tantùm erant, quibus vſq; ad lucem alteram turbabant fatigabantque euntes.

Hoſtes iā remiſſius agunt 5. Octobr.

Illa die prælium tentatum, ſed cùm vix quadraginta amplius ſtadia noſtris ad Neſtrum ſupereſſent, viſq; octo dierū, & neceſſitates humanę nihil profeciſſent, neq; noſtros aduersùs omnia duratos fregiſſent, deſperatâ victoriâ Skinder-Baſſa cum Galga mæſti māſerunt. Kantimiro tantùm cum paruâ parte copiarū à tergo inſtare iuſſum, carpēdoq; poſtremum agmen domum proſequi euntes. Sed vrgentibus iam rem Polonam fatis, cùm priorum repentè oblitus, ad ſecuritatem neglientiamq; verteretur miles, nimiùm domeſtico laborauit labauitq; malo. Magna ſæuaq; anguſtia, cùm antea, tum maximè per quatriduum & tres noctes, tenebat exercitum. iam ſolita alimenta deerant, eoque inopiæ ventum, vt miſerandis cibis, mandendo equos cæteraque animalia, quæ fœda in vſum

Skinder-Baſſā & Galga deſperāt de victoria.

vſum vertit neceſſitas, propulſaretur fames. Et ſuperato vtcunq; hoc vno conſilijs malo, ſitim tamen ſomnumq; natura vinci non ſinebat, cùm alij tædio potus & vulnerum inter cadauera ſponte procūberent: alij ſomno feſſi cadēteſque, nullo ad reſurgendū niſu, quaſi exanimes linquerentur. Sed ſuper alia alijs diebus tolerata mala, iā hoc vltimo nouiſſimoq; veſpere, & tormentarius puluis, & aqua rurſus deficiebat euntes. nec aliud quo hæc ſimulq; antiqua mitigarentur ſupererat, quàm pauci adhuc tædij via, ac vicinū limen patriæ, vbi poſt aliquot horas, pleni gloriæ priuatæ publicæque, compotes commeatuum fortunarumq; conſiderēt. Conſummare igitur quàm ocyus iter, neceſſitates & Duces Centurioneſq; ſuadebant, cogebant. Cùm exercitum repente inceſſit ſeditio, præcipuâ causâ, ob direptas olim in Cetſora res ſarcinaſq; militum. Nam lixæ remedium præteritorum, & retinendæ prædæ, ſolam fugā rati, quamprimùm ſubtrahere ſe è caſtris parabant: moti adhuc in itinere non obſcuris ſermonibus & minis quorundam, qui exitiabili cōſpiratione recuperaturos ſe ſua ſtrepebant. Conſtabat tamen lixis eouſq; obſequium & virtus, atq; vt à præfectis iubebantur, ita in ordines, ſtationes, vigilias ibant. Erupit ſcelus, cùm milites, nolle progredi, Centurionibus obniti, retinere, impedire alios, cernerent; tunc enim altiùs coniectantibus timor quoq; cum conſcientia redibat, quâ apud delinquentes in longum memoria manet. Itaque & ipſi, primo inter ſe congregari, ſtationes deſerere; dein' exuere imperium: poſtremò, cùm iam nec fas, nec fidem, nec periculum penſi haberent, datâ teſſerâ, vt numero validiores, quod reliquum diripiunt fugiunt-

Seditio in caſtris.

Lixarū ſcelus.

fugiuntque: ſtupentibus rectoribus, quod tumultus initium? quis finis? qui accurrentes ad ſubita, fugientes increpant, prehenſant, retinent; aut ſi alijs flecterentur conſilijs, metantur caſtra. Sed initio rapiendi orto, difficilis vltra moderatio; & nonnullorũ quoq; diffugijs, latius per omnes ſcelus. Itaq; non illi, non Centuriones ius obtinent: nihil ſalutare iam nõ modò ad animum, ſed ne ad aures quidem admittentibus, quiſque ſibi timore, exemplo, fit flagitij dux, aut comes.

Kantimirus tumultuãtes aggreditur. At verò Kantimirus cum tumultuari in caſtris, cunctaq; rapinâ & tenebris miſceri, à transfuga comperiſſet: haud dubius occaſionem ſibi opportunam, proſperè gerendæ rei offerri, accerſitis Skinder-Baſſæ, Galgæ, & Valachorum cohortibus, diſcretos animis viribuſq; aggreditur. Depellebatur vtcunque à noſtris prima vis; ſed alijs irruentem vim hoſtiũ non ſuſtinentibus, paſſim pars cateruatim, pars vitatâ frequentiâ, quaſi promptiores latebris, diffunduntur. Sed neq; fugæ iter patuit, cùm à tenente circũ omnia hoſte, vincirentur, perimerentur, maximè circa ripã Neſtri, vbi manus etiam hoſtium elapſi, profundâ hauriebantur aquâ: paucis tantùm ſcientiâ vel audaciâ auxiliante.

Zolkeuij exitus. Zolkeuius vbi rem perditam videt, immemor ſui, memor gloriæ, obiectans ſe hoſtium telis cadit. Centurionem leuare eum oblato equo voluiſſe conſtitit, ſed ille diſtricto acinace, tranſuerberare equum volens, leui tantùm per ætatem ictu, vulneratum repulit. poſtea vbi denſiſſimæ hoſtium manus contẽdens, neq; ætate, neq; corpore par; præciſâ etiam, vixque cuti adhærente dextera, ignorantiâ nocturnâ opprimitur.

mitur. Senſit Konecpolſcius collegæ caſum, atq; vt *Konecpolſcij, & aliorũ militum fortitudo.* fortiſſimum quenque ſuorum noſcere poterat: *Noſtrum iam*, inquiebat, *opus eſt milites. agite dum, dilapſis alijs, amiſſo imperatore, vos præcipui me ſequimini. hic aut propè te Zolkeui cadendo, aut victores redeundo, maturam, te, noſq; deſerentibus, vltionem aut pœnitentiam accelerabimus.* Mutatis per hæc animis, tum quia præfecti & Centuriones, ſimilia quoq; militibus ſuis ingerebant, plurimi reſtiterunt. ſed pertinacior quàm felicior ipſis virtus fuit. quamuis enim aliquot defuncti prælijs, confertos tranſijſſent hoſtes: in nouos tamen incidendo, clauſi aduersùm circumfuſos, & feſſi cum recentibus iterabant pugnam. Tandem apertâ ſibi ferro quiſq; in ſuam partem viâ, cùm diſtracti, ſinguliq; aduersùs plurimos imparem dimicationẽ inijſſent, labore & vulneribus confecti, in manus hoſtium venerunt. Morabatur adhuc Konecpolſcius & Dinophius victoriã; *Dinophius interficitur.* iamq; interfecto Dinophio, multis nequicquam hoſtes circa Konecpolſcium conatibus captis, cùm noteſceret Ducem eſſe, velut ad prædam conuerſi, neglectum in acie deſerunt. dant interim cuidam negotium, vt gnarus linguæ, ſimulatâ fide ductorem ei ſe itineris offerendo, viui quoquo modo potiretur. exequitur ille vt iuſſum erat, deductumque in anguſtias tradidit hoſtibus. Capti eo tempore ex illuſtribus *Capti à Turcis.* duo Zolkeuij, Ioannes filius, & Lucas nepos Imperatoris: Nicolaus de Komorovv Strus, Halicienſis Præfectus: Alexander Balabanus, Woinicenſis Præfectus: Samuel iterum Dux Korecius, Nicolaus Potoccius, Vlodimirius Ferensbachius, Molinſcius, Strzyzouius. captus Martinus Kazanouius, ſed mirâ vultus & ſermonis confidentiâ & ſimulatione, ab ho-

 ſtibus

ſtibus non agnitus, in pauciſſimis diebus, ſeptem tantùm captiuus, libertatem, pro gregario milite redemptus, inuenit habuitque. cæteri Conſtantinopolim abducti. Poſtero die, vbi primùm illuxit, ad legẽda ſpolia, ſtragemq; ſuorum & noſtrorum viſendam, hoſtes inſiſtunt. vbi Zolkeuius, inter promiſcuas cadauerum ſtrues, repertus, & canitie præq; cæteris auguſtiori facie agnitus, præbuit victori iugulum. Nullum caput adeò fixis attentiſq; oculis luſtraſſe Skinder-Baſſam proditur, ſiue explendâ lætitiâ, antequam illud Byzantium mitteret: ſeu ſplẽdor maieſtatis etiam in mortuo, quamuis immitem animum imagine triſti confuderat: vel etiam viri inimici, fortunæuè recordatio, & ſibi conſcia ſupremi mens, ferum animum aſpectumq; retinebat. breui enim & ipſe quaſi ſupremo edito opere occubuit. Hæc fuit inſignis, atq; inter paucas memorata Polonorum fortitudo & clades.

In Cetſora periculoſiorne fuiſſet ſeueritas, an clementia?

Sed me quominùs progrediar, indulgentiâ Ducũ, lixarum impunita olim in Cetſora licentia, an pereũdi perdendique omnia, inuicto tot prælijs exercitui cauſam adduxerit, pauliſper retinet. Grande enim in bellis momentum diſciplina: rigorque & ſeueritas vnum armatæ multitudinis munimentum. alibi locus eſt clementiæ; imperator in caſtris timebit, niſi timeatur. Neq; iſta abnuo, ſcire tamen quod ex vſu, quàm quod in vſum promptius; quoniam & conſilio non ita diiudicari poteſt, quid optimũ factu ſit, quàm euentu peſſimè factũ eſſe, ſi factũ eſt. Atqui ſeueritate admiſiſſent magis tunc Duces, quàm vindicâſſent ſcelus. Quid enim futurum fuit, ſi illa calonum lixarũq; plebs, cui nec boni intellectus, nec mali cura, multa & valida, ne in ſupremo articulo extrema timens, ſublatâ ſpe veniæ pertinaciùs accenderetur? Reformidat animus euentum ominari, ſi in confuſione illa & lymphatico pauore, cõſpiratio aliqua vindices petijſſet. Næ tunc fracta ſeueritas, & ſine viribus maieſtas iacuiſſet, cuius remedium erat neſcire ſcelus, quo ſi intelligeretur, pereundum omnibus fuiſſet. Prohibuit id ingenium Ducum, eoq; modeſtiâ, ac tempeſtiuâ indulgentiâ, effrænem multitudinem perduxit, vt inſignem etiam frugem virtutis fortitudiniſq; impunitate ediderit. Verumenimuerò dum exercitum exlegem, ac velut bicipitem conſidero, diſcordia noſtra eſt, irreuetentiaq; Ducum, quæ rem Polonam afflixit. Sic ſtare, ſic inſtrui acies iubetur, certæ victoriæ prauitas damno fuit. ire carragine decretum eſt, pergere duces vltra iubent, tu reluctaris. Adeò nullibi obſequio pares, & bello maius impedimentũ, quàm auxilium ſumus. At dum paruimus, nunquam dolis, nunquam apertâ acie, nunquam æquis, nunqnã iniquis locis laborauimus. Tormenta, ſagittas, ſaltus impeditos, malè concors miles timere poteſt. mille acies grauiores, quàm Turcarum Tartarorumque, auertit auertetque, modò ſit illi, conſtans eius, quâ omnia creſcunt, concordiæ, auctoritatiſque Imperatorum, quia à Deo, cura.

Diſcordia rem perdidit.

Rumor per Poloniam.

Interea per Poloniam, nondum cognito, qui fuiſſet rerum exitus in Valachiâ, multus vbiq; ſermo. cætus paſſim per vrbes, per templa, per fora, per cõpita viſebantur, vario ſuper exercitu rumore diſſerẽtium. Alij obſeſſum quidem, nondum tamen extremis premi, aut commeatu deſtitui, vulgabant, credebantque: alij velut præſagientibus animis, ſilentio

rerum, vt fit, grauiora metuebant: alij iam aliquid ab alijs accipiebant: sed ad tempus ista conficta, dum comitia instarent, quò liberior indictio statueretur, exigeretur, omnia vt falsa aspernabantur. Tum verò vbi intulit sese in Russiam hostium exercitus, & victoriæ licentiâ, & conceptâ populationis ingenti spe furens ac præceps, atroces iam nuntij, passimque per omnia terror; re subitâ, & quod ad arcendum nihil prouisum, aut paratum. Stanislaus tantùm Lubomirscius Comes in Wisnic, Capitaneus Sendomiriensis, paucis ante diebus, suppetias exercitui ferẽs, strenuè aliquot circa Leopolim locis, in populantes, prædâque agentes, impetum dedit: sed nec multitudini, nec in immensum diffuso agmini par, recuperatâ insigni prædâ, præsidio Leopolim concessit. indeque solutiore curâ suggredientes, aliquot eruptionibus retudit fuditque. Sed hostes, abstinentes acie, Leopolim transgressi, Grodecum vsque, omnia armis, cædibus, incendijs, direptione proterentes, terrorem latiùs porrexerunt. Fit vndiq; fuga agrestium, omnis sexus, omnis ætas, illustres, ignobiles, in vrbes congregari. iamque alij pauentium globis immixti, animum vultumq; conuersi, quisq; sibi, quisq; alteri consulere: alij neq; dum comperto, quosnam illa vis abstulisset, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. Cùmq; malis sicut ingentibus, ita subitis, tumultus & fletus obstreperet; Pontifices quoq; inopes auxilij humani, populum ad Deum & vota vertunt. Et Laurentius Gembicius Archiepiscopus Gnesnensis, ac Martinus Szyscouius Episcopus Cracouiensis, viri aduersùs subitaria & repentina, nunquam non instructi paratique, repetitis supplicationibus,

Tartari irrumpunt in Russiam.

Stanislaus Lubomirscius ijs occurrit.

Tartari Leopolim trãseunt.

Terror vbiq;.

Laurentius Gembicius. Martinus Szyscouius.

nibus, ad exemplar triennis olim religionis, præeunte verbis clero, cum coniugibus liberisq; paruis, veniam irarum cælestium, finemq; cladi, Deum, Diuos etiam Indigetes, Tutelares, exposcere iubent. Auditæ preces. & abscessere terrâ barbari, tanquam bellum potentioribus copijs differrent.

Tum verò haud multò post, palam facti viui mortuique, quos & bellum, & præsens rapina abstulerat, iterum priuatas per domos complorabantur. Sed nõ alia quam Herburtea, Zolkeuij vxor, non visentium modò, sed etiam reputantium, animos & oculos miseratione afficiebat. Huic nihil non luctuosum, interfecto marito, simulq; incertâ spe erepto vnico filio, quo, cùm nec luctum, nec oculos solari valeret, infelix matrimonium pertulisse, vitamq; atroci dolore, iam è vitâ exempta trahere credebatur. Atq; vbi allatum cadauer, quod per vulnus illi ad Bycinũ inflictum cognouerat, cruentum truncum amplexa, cuius sortem concesso periculis filio onerâsse videbatur, seruabat sanguinem, vestesq; respersas, inops vidua, anxia spei, implexa luctu bino. Portatum deinde militum humeris cadauer, septum inuersis incõptisq; signis, sequentibus lectum primarijs viris, aut de eo emortualis straguli lacinias pendentes sustinẽtibus, comitante vxore, lugubriore animo quàm veste, cæterisq; doloris & tristitiæ imitamentis, monumento vrbeque, quam viuus cognomento suo condidit, sepultum est. Is finis erat viri. ætas septuagesimum annum excessit. honores priuatos publicosque, miles primùm sub Ioanne Zamoscio, deinde Magister equitum meruerat: defuncto eo, Generalis exercituum Dux factus, moderatè quoad imperiũ tantùm,

Herburtea vxor Zolkeuij.

Zolkeuij funus.

Elogium.

tantùm, poſtquam Cancellariatum, nimiùm vſq; ad finem vitæ, multorum inimicitijs conflictatus eſt. propenſiore tamen Regis, quàm ciuium fauore fuit. Moſchouiticis expeditionibus clarus, vbi hoſtilibus armis, captorumq́; Principum catenis, Baſilij Suiſcij Imperatoris Moſchouiæ, Ioanniſq́; & Demetrij fratrum ſuorum, grauem Regi Sigiſmũdo triumphum dedit. Innocentiam iuſtitiamq́; eius non argueres. nec minor ex eo gloria, quod incurſionibus Coſacorum ſæpiùs turbatam pacem, mirè cum Turcâ temperauit.

Comitia. Senatores creãtur. Matthias Lubinſcius.

Dies deinde Comitiorum Varſauiæ iij. nonas Nouembris indictorum aduenit. Creati Senatores. in Epiſcopum Chelmenſem, Matthias Lubinſcius, notæ pietatis induſtriæq́; vir, fœcundâ etiam fratrũ ſuorum claritudine, ſurrogatus eſt. collegio ſecularium delecti, Georgius Dux in Zbaras, & Ioannes Comes in Tęczyn, ambo pari propemodum prudentiâ, rerumq́; ciuilium peritiâ. qui quamuis per auitas opes gloriamq́; non concupiſcerent, inclytæ tamen vtrorumq́; familiæ honos auctus eſt, oblato principe in Senatu ordine, vni Caſtellaneatu, alteri Palatinatu Cracouienſi: quò vtrorumq́; virtutes, loco, officio, ſocietate connexę, in ſupremo faſtigio campum exẽplumq́; haberent. & Tęczyniorum familia, vetuſtate & claritudine inter primas, fœcunda ſemper bonorum ciuium, non interruptis honoribus, in dignitate cõtinuâ, firmoq́; in faſtigio veſtigio, pari ſemper fortunâ, quod in diuturnitate perrarò accidit, ſenium quoq; ſuum & canitiem eodem tenore attigit. Poſthæc de bello Turcico Senatuſcõſulta fiunt. & abſumpto recenti clade Duce, quinam ſurrogaretur, quærebant.

Georgio Dux in Zbaras Ioannes Comes in Tęczyn.

Tęczyniorum claritudo & vetuſtas.

Duces belli deſignantur.

Ioannes Carolus Hotkeuicius.

bant. Omnium ore Ioannes Carolus Hotkeuicius Palatinus Vilnenſis, idemq́; Generalis exercituum per Lithuaniam Dux celebratur, cultu habituq́; moris antiqui, proſperâ vbiq; fortunâ, erecto ac præſenti in periculis animo, & quod in vitijs diſſolutoq́; milite neceſſarium tunc ſpectabatur, diſciplinæ ſtrictæ & contentæ, à naturâ & armorum tractatione aſper. Nunquam id antehac vſurpatum, diſcretaq́; & Ducũ & bellorum ratio apud vtramq́; gentem fuit. Nam in Lithuanorum ad Polonos acceſſione coniunctioneque, etſi in vnum nomen imperiumq́; conceſſum eſt: ſuis ſe tamen, & in æmulationem, & ne inuicem confunderetur, in pace honoribus, in bello officijs, vtraq́; gens ſeparauit diſtinxitque. Datum tunc magnis meritis viri, quibus magnis haud dubiè & priſcis Imperatoribus par, ab adoleſcentia vltra ſexageſimũ annum, continenti militiâ & rigore, felicitatem & gloriam extenderat. Huic Staniſlaus Lubomirſcius Comes in Wiſnicz collega adſcitus, intentus ſemper in neceſſitates patrię, pluribus pro eâ expeditionibus perfunctus probatuſque, miro ciuium fauore; quem comparabat ipſi comitas, & beneficentia, non magis magnæ naturæ dotes, quàm magnæ in regendo artes, ad obtinenda occupandaq́; officia & famam accommodatæ. quippè nemo in regno literis armiſuè inaudiuit commendatior, quem non aggrederetur, ſuâq́; ipſum ſibi non adiungeret componeretq́; beneuolẽtiâ & virtute. adhæc nulla in toto regno ſedes hoſpitalior, ad quam frequẽtiùs vel ab exteris Principibus miſſi legati diuerterent, vel primores nobileſque domeſtici exciperentur magnificentiùs, quàm Lubomirſcij domus.

Eius virtutes.

Reputatio.

Staniſlaus Lubomirſcius Comes in Wiſnicz.

Eius virtutes.

Recuperatores, vulgò Deputati. Quia plus pollerent plurium ingenia consiliaque, designati etiam, qui consilijs Imperatorum adessent, conditionesque pacis & arbitria belli moderarentur, vulgò dicti Cōmissarij vel Deputati. Exercitus sexaginta milliū sufficere visus properatusque. Præter stipendiarios, delectus etiā Nobilium concessi: quòq; paratior foret nobilitas, vt lustratio singulis annis per prouincias, suis Palatinis fieret, pleniùs quàm antea & vberiùs cautum. *Lustratio.* Facta ibidem militi spes honoratioris militiæ, neuè vlli dum in castris ageret, lis noxæ esset, aut stipēdium capto vel mortuo patriæ causâ intercideret, sed ipsum, liberos, vel propinquos moraretur, decretum. Verùm nihil æquè fatigabat, quàm pecuniarum conquisitio, inopi penè regno: cunctaq; scrutantibus optimum visum inde occurrere, vnde inopiæ causa erat. Ita & aduersùs ambitionem militarem, & domesticum luxum, rogatio promulgata. *Rogatio aduersū luxus.* Illâ scitum, ne auro argentouè cælatus cōpareret in castris miles: alterâ, statutis ante rerū pretijs, ne promiscuus fieret sericorum vsus, cautum: quêis ambobus in immensùm tædijs exquisitioribus, vulgi etiam portatu, pecunia profundebatur. Sed vetabitur istud & retinebitur, palamq; tantùm fiet, quibus vitijs impares sumus. olim autem nobilitatē virtute, & hac vnâ notâ, à plebe discriminatam ferunt, nunc etiam humilem fæcē illustris fucus velat: quodque præcipuum esse debuerat virtutis familiarumque discrimen, ne fœdiora recenseam, passim miscetur & confunditur. Invigilatum præterea ab omni parte alijs quoq; belli necessitatibus. Actum, vt legati petitum externa auxilia mitterētur. *Legati ad exteros Principes.* Romam, Achacius Grochouius Secretarius Regius: ad Imperatorem, *Grochouius.* Maximilianus Przerēscius Castellanus Siradiensis: in *Przeremscius.* Angliā, Georgius Osolinscius Palatinides, nūc Palatinus Sandomiriensis: *Osolinscius.* ad Status Holādiæ, Petrus Zeronscius Secretarius Regius, missi. *Zeronscius.* egregij omnes, & qui præter alias virtutes artesque, facundiam quoque ferrēt. Hæc sunt præcipua arbitrio Senatûs decreta.

Allata deinde Zolkeuij honorum insignia, claua annulusq; Regni. vtraq; per Thomam Zamoscium Palatinum Kiouiæ, *Thomas Zamoscius.* in frequenti populi, Quiritum, Senatorumque coronâ, Regi reddebantur: oratione egregiè cultâ, quâ laudatis Brutorum, Deciorum, Marcellorum, penes suos milites mortibus, parem Paulo Æmilio Romano ad Cannas, Imperatoris nostri exitum facundè memorauit. erectis ad tam magnificam orationem prorsùs omnibus, quam adhuc altiùs patris in illo imago, Senatorius viri decor, vultus, habitus, gestus dicentis, attendentium animis adfigebat. Sed hæc eius verbis per Poloniam excepta vulgataq; edere supersedeo. Clauâ Hotkeuicius, annulo publico Supremoque Cancellariatu, Andreas Lipscius Episcopus Luceoriensis honoratus, *Andreas Lipscius.* vir iudicio, calamo, & ore magnus, pro veritate firmissimus, cuius amplitudinem frustrà stringerem hoc angusto spatio vel manu.

Eodem tempore, Praga Bohemorum à Ferdinādo Cæsare Regeq; recuperatur. *Praga à Ferdinādo recuperatur.* ausa in eum rebellionem, dum virtutes Principis veretur; nec alijs satis quieta, quamuis scelera segniter ferentibus. Nam & in Rudolphum cœpta erat seditio. petulātia tantùm gentis, cùm luxu, libidine, facinoribus, in numerosas superstitiones procax, vixq; illis vlteriùs retinendis par, vi ac obsidione ad firmāda diplomate iniqua, legesq;

legesq; sibi libitas eum adegerat: velut amore quietis à Catholicis, curâq; publicæ pacis; ipsis inter tot religionum vocabula discordantibus; nisi quod inter malos euenit, vt aduersùs alium, concordes similitudine coëant. Neq; id Matthiæ Imperatori probatum: sed iniquissimam rem questus, vltra non anquirebat, ipsis tamen agentibus ferentibus cuncta libidine ac permissu. Donec contra fas iusque, exstructis duobus templis, vno in Archiepiscopi, altero in Abbatis Pragensis fundo, vbi æquitate apud recuperatores vincebantur, perduellionem aduersùs Ferdinandum induerunt. Exinde arma rapiunt, fasces Regni inuadunt, initio à proiectis in præceps per fenestras iudicibus facto, prono quoq; in scelus populo, quasi prætextu religionis; sed nisi pollutum obstrictumq; meritis suis Regem haud passuro. Momentoq; temporis flagrabat ingens belli lues, circum prouincijs desciscentibus, Vngariâ quoque contactâ, æquè graui flagitio. Dein' hoc ipsum, quod nullus regentes regeret, timentes, Fridericum Palatinum Rheni vltrò sumere regium insigne impellunt; non tam quòd ipsum mallent, quàm quòd non haberent alium, facili iuuene, dominationis cupidine, & futurorum incurioso. Sed pulso eo hoc mense, non aliud subsidium fuit, quàm pernicitas equorum, queîs se & coniugem abstulit, quàmque antea Regem, tam postea propè exulem gessit.

Causa rebellionis eius. *Initium.* *Fridericus Palatinus Rheni.*

Peracto bello, incertũ an nescij, ad Comitia tres legati, Bohemorum, Silesiorum, Morauorum (nam & ij desciuerant) Varsauiam veniunt. in Senatum introducti, Statuum suorum nomine variam orationem habuerunt. partim se purgando de interceptis olim

Legatio Bohemorum, Silesiorum, Morauorum.

olim apertisq; Regijs ad Cæsarem literis, tum ne suo consilio stimulari cõtra Polonos Turcam, aut proposito exscindi Catholicam religionem crederetur: partim postulãdo ne se, veteres socios, à Lissouiensibus, olim ad Cæsarem transgressis, fœdiùs spoliari vexarique quàm hostes, patiātur: & cùm auxilia aduersùs Imperatorem non implorent, aduersùs se etiam miles contrahi non permittatur. Finitâ legatione, dimissi benignè: fœderaq; & pacta quæ cum maioribus ipsorum intercederent, seruare velle Polonos responsum.

Sequitur immane portentum, quid exhorrescis calame? tunc primum in Polonia auditum visumque nefas, hoc solùm ab ipsa excusatum, quòd nemo alius parricidæ nomen aut conscientiam commodauit, quem (ne per flagitium quæsiuisse famam se putet) æterni etiam silentij pœnâ, quàm nomine aliquo affecero. Intrabat ex more templum Rex, Deo primùm sanctimoniæq; attentus, antequam animum ad curas Regni verteret. & ecce nefarius foribus abditus, asperatum saxo ardentemq; malleum, rostrato mucrone in caput prætereuntis attollit; opportuno tunc flagitio, cùm Vladislaum Principem, Primoresq; sequẽtium occupatos, & sustinentes à tergo turbam, ipse etiam portâ paulùm ad limẽ adductâ moraretur. Sed ictum fallente manu, leui tantùm genæ vulnere, bis in humerum manubrio illisit: tertium iam ad verticem directũ, obuersus Lucas Opalinscius, Marschalcus Curiæ virgâ retinuit infregitque. Concidit Rex graui casu. per læue & lubricum pauimentum, omnibus parricidam persequentibus, ac maximè Vladislao filio: quem à cæde percussoris, pietate & dolore violentum,

Parricidium Regis attentatum. *Lucas Opalinscius ictũ infregit.*

lentum, quanquam inflicto iam percuſſori vulnere, ægrè alij tenebant; non miſeratione aliquâ, ſed quò ſuſpecti latiùs ſceleris indicio reus ſeruaretur. Interea Martini Szyſcouij Epiſcopi famuli, prouolutum iacentemq; Regem aſpiciẽtes, veloces accurrũt. Atq; hærentibus cunctis, cùm auxilium periculi cuiuſque, aut ſuſpicionis tardaret metus, primus Ioannes Kalinſcius, adiuuãte per manus Bonauentura Rogaſcio, acceptum medium terræ adleuat. accurrit & Ioannes Zebrzydouius Enſifer Regni, ſimulq; voce, manu, ſtricto gladio exprobrat ſcelus. Opertum deinde gladijs manibuſq; familiares Epiſcopi, ad ipſum, qui tunc peracto ſacrificio, inſcius omniũ, in occurſum Regis ſacello prodibat, deducunt. Is Regem ſanguine oblitum cernens, attonitus, ſilentio, mox fletu exceptum compellans: *Non hoc*, inquit, *optime Princeps, infelicibus votis inuocaui, vt ſuperſtes, labem inſuper hanc in patria cernerem? Hæccinè tibi pro omnium cura ſummaq; bonitate redditur gratia? Noſter is dolor, nos iſto ſanguine perfuſi, cùm vulnere tuo noſtrûm omnium capita, Reiq; publicæ ſalus peteretur.* Simul amplexus ægrum, premebat vulnus, adſtabatque attonitus, miſerabili inter ſanguinẽ & lachrymas proſpectu. quippe cuius periculum morte ſua redimere pijſſimus Paſtor optaret, hunc ipſe in templo temeratum, tanquam victimam ad aras ſauciam, foueret, voce, complexu; verè animo Senator, pietate Sacerdos, amore Ciuis. Neq; deinde abſceſſit à latere, ſed poſt cum nonnullis aduenientibus Senatoribus in palatium comitatus, felicitatem etiam diei primus in Eccleſia, in quâ Rex vulneratus, ſupplicationum honorauit celebritate.

Martini Szyſcouij famuli Regem ſubleuãt.

Ioannes Kalinſcius.

Bonauẽtura Rogaſcius.

Ioannes Zebrzydouius.

Martinus Szyſcouius Regem in templo excipit.

At verò nondum planè vulgato Regis periculo, pauen-

pauentia fora templaque, & per vrbem tumultus. nã neq; ſcire quid contigiſſet, nec percunctãtibus ignari reddere reſponſum poterant: & clamor vbique, diuerſa rogantium, incerta reſpondentium, & concurſatio incidentium aliorum in alios, quaſi hoſtis vrbẽ teneret, populum affecerat. quouſq; attentatum Regem parricidio, ſed ire in melius valetudinem, rumore, mox aſpectu, (nam vt ſedaret motũ, abſterſo cruore, videndum ſe præbuerat) incolumem etiã eſſe pernotuit. Dona ob hæc templis decreta, grateſq; Deo. Genus armorum, quo necem Regis parricida tentauerat, vetitum abrogatumque. Præmium ſubleuanti à Regina torques aureus, trigintaq; millia ſeſtertium, à Senatu, bona percuſſoris data. Nam Rex clementiſſimus caſum æquo animo ferebat, nec quicquam acerbum vel indignum locutus, quinimò pro percuſſore deprecando, pro ſuâ parte veniam illi ac velut innocentiam donabat. obſtinârunt tamen omnes, & quamuis nefarium palam mente captum conſtaret, hoc tamẽ illi veniam omnem ac miſericordiam exemerat. Et cùm nec tormentis, nec ignibus, nec vllis pœnarum experimentis quiſpiam conſcius inueniretur, ille nihilominus iudicio publico damnat⁹, omnibus exemplo & ſpectaculo deſtinatur. Itaq; arreptũ lictores, candentibus hinc inde forcipibus lacerãtes extra vrbem deducunt. ibi eminẽti ad id facto theatro, aptatam malleo roſtrato dexteram flammis adurunt, nudiſq; iam fluentem oſſibus, cum læuâ amputant: poſtea admotis quadrigis diſtentum illigant, equiſq; in diuerſum concitatis, lacerum corpus, laniataſq; partes cremati, ac cineres diſijciunt.

Terror per Varſauiam.

Clementia Regis.

Suppliciũ parricidæ.

Fine anni vulgantur prodigia. Terræ motus non aliâs

Prodigia.

aliàs latior, Leopoli, Cameneci, Luceoriæ, Halicij, & per alia ignobiliora oppida. horridior adhuc crebriorq; per Valachiam; vbi ventis per caua terræ citatis, rupti aliquot montes tumuliq; ſedêre: ſed præcipuè vno loco tellus decuſſatim vaſto ſpecu collapſa dimotaq; fuit, indeq; ſcaturigines fluxiſſe memorabantur. Item ex villa Sytkovvce ad aliam ſponte tranſiens cliuus. Iiſdem diebus excurſione cohortis, quam Duces in Zbaras hoſtibus prædas abigentibus obiecerant, Turcarum legatum ad magnum Chamum euntem, interceptum accepimus.

Annus 1621. Iam annus primus, poſt vigeſimum ſexcenteſimũ & milleſimum numerabatur, cùm cæſo in Valachiâ noſtrorum exercitu, fortuna mouere atrociùs Turcas, rebuſq; Polonorum maiori terrore incumbere

Cauſæ Oſmano belli mouendi. cœpit. Vim ei dabant, cùm præteritorum annorum, impunè à Tartaris Turciſq; continuata illataq; nobis damna cladeſque, tùm præſens longè amplior ſucceſſus, expugnata deletaq; cum Zolkeuio caſtra, capti abductiq; Cõſtantinopolim, multi militares & ſummi viri: atq; ſi non per vices, ſed ſimul pariter vnum vndiq; bellum moueretur, pretium non irritæ ſpei, prædam vniuerſum regnum oſtendebant. Accedebat percitum & ferox Oſmani Cæſaris ingenium. Adoleſcens is, cui vix viginti anni exacti, quò magis poſt obitum Achomatis patris, inter prima imperandi initia, in res ſecundas incurrerat incideratque, hoc magis moras & conſilia peroſus, cupidine ab ſe primo abſoluendæ victoriæ gloriæque, quam nemo

Incentores. ante habuiſſet, flagrabat. Intendebant furorem intimi & præpotentes in aulâ miniſtri, quantò maiori gratiâ vel metu, apud peruicacem eorum quæ libuiſſent,

ſent, conſilia accipiebantur, tantò maiori omnia approbantes facilitate vel ignorantiâ. Plurima vis penes Hali & Skinderum Baſſas fuit, alterum aulæ, militiæ alterum præfectũ. *Skinder-Baſſa.* Skindero magna apud Principe auctoritas, ab induſtriâ & rebus feliciter geſtis: Hali-Baſſæ adulatio obſequiũque, quibus inter ephebos adlectus adhuc puero placuerat, vberiorem beneuolentiam, ſummumque in imperio officium, & poſt Cæſarem poteſtatem (Vezeri Turcæ appellant) auxêre. Vterq; Polonis ſæuè infenſus, hoſtis quàm ſocius iactabat. Sed Hali-Baſſam ira inconſultiùs agitabat. *Hali-Baſſa.* Skinder-Baſſa cautior, belli periculorumque haud ſanè detrectator, odium conſilio & occaſione tegebat temperabatque. Ferunt, appetentem continuò belli animum Oſmani, vnum diu tenuiſſe, multa paruaq; ſua & Tartarorum prælia, in ſummam vnius validi belli, trahendo cõponendoque. *Mors Skinder-Baſſæ.* Mors eius maturauit omnia, dubium fato an vi properâ. credidêre quidam, à Dilat Gereo Galga interfectum, mutuâ inter ipſos in reditu, de remittendis Conſtantinopolim noſtrorum captiuis, altercatione inde cæde ortâ. captiuos certè plures, quod ſatis conſtat, Galga retinuit.

Ante bellum varia Turcarum artes. Cæterùm poſt finem Skinder-Baſſæ, Oſmanus cũ cohærente ſibi Hali-Baſſæ ingenio, velut iam occaſioni & abſoluendæ victoriæ reliquus, inſtare fortunæ, feſtinare conatus, tractare præliorum vias, antequam bellum explicaret, arte, mercede, dolo. Tunc *Corrupto res per Ruſſiam dimiſſi.* miſſi in Poloniam occulti nuntij, quòq; promptior videbatur, inter diſcordes religione, perfidiâ, per Ruſſiæ prouincias pleriq; rituum Sacerdotes. per vrbes, ibiq; per Coſacorum contubernia, furtim adrepere:

Cosacis Kijouiam, Camenecum, aut quemcunq; prædâ legissent locum elargiri: alijs tributa dimittere, immunitates, præmia promittere, simulque nil facinoris negligere. Non omiserim fœdum & atrox tûc visum Cracouiæ flagitium. sparsa per publicum, per latebras, humanorum corporum membra: hîc manus, illic pedes, alibi nares, digiti, & nuspiam existentibus inuentisq; capitibus, laniatorum cadauerum, informes tantùm reliquiæ. Quæ quidem inter auctoris & exanimatorum ignorationem, motis in metum animis, perinde credita, ac si Regnum veneficijs & deuotionibus à Turcis peteretur. Sed & crebra tunc igniû violentia, absumptaq; flammâ, duo haud ignobilia oppida, Rzesouia & Dębica, ipsorum artibus assignabantur: adeò tamen sine inquirendi curâ, vt diu postea sors an scelus continuaretur. Enimuerò Lublini, quendam perfidiæ deprehensum, mox publicâ socordiâ, amiciq; monitu elapsum audiuimus.

Cracouiæ fœdè concisa & sparsa cadauera.

Cõflagratio Rzesouiæ, & Dębicæ.

Et Vilnæ simile huic flagitium compertum, interceptis (nisi quod in re certâ, & breui suppressâ me nominum error habet) ad Turcam, an ad propiorẽ Moschum literis, quibus descripti vrbium oppidorũque nostrorum positus, & aliquot ciuiũ perfidia portabatur. Quippe plurimi illic Græcorum ritibus instituti, & horum præcipui, libertate fidei in quodcũque seruitium inclinabant, magis importunitatis cõtra credentium, quàm obsequij impatientes. Cõprehensi deinde, cùm in carcere haberentur, exorsus ignis, plurima per continuum ædificia, magnamque partem fori corripuit. Quò, quanquam versi ad extinguendum ciues, in fortunam vrbis, multo ligno densisq; vicis igni obnoxiæ, aut hostium suspectũ facinus,

Vilnensium Schismaticorum coniuratio.

Incendiũ Vilnæ.

cinus, incendij infamiam auerterent: tenuit tamen fama, ipsorummet ciuium manibus ignem subditum, quasi reorum miseratione, vt per tumultum supplicio eriperentur. Certè non multò post, duo ex coniuratis, sponte vim vitæ suæ attulêre, ante Regis sententiam. & à domo eius cœptum incendium, qui Varsauiam integram de ijs relationem Regi ferebat, suspicionem fecit.

Nam vt paucula historiæ meæ superaddam, fuit sanè hoc tempus, omnium quantùm experti fuimus, religioni perquàm atrox & calamitosum, ac tumultuum rebellionumque, quæque per populos & regna cultuum error & peruicacia creare solent, nimium ferax & metuendum. Inde Germaniam implacabilia contra Ferdinandum Cæsarem excitata bella, Fridericum, Mansfeldicũ, Bethlemicum, Danicũ, Rusticum, Sueticum, Saxonicum, Gallicum, inuoluebant: nos quieti magis, quàm tuti fuimus, amotis procul, vnde alibi ineuitabiles resurgebant motus, remedij asperitate & formidine. Nam Sigismundo alia coërcendi hanc pestem fuit via, statimq; ac regni gubernacula capessijt, ne se attolleret, obuiam iuit, moribus tantùm suis & exemplo. Plurimum circa initia eius imperij virium Hæresis & Schisma habuit. Illa minimè regni nostri incola, sed externorum populorum, qui se nobis, partim cum bellis, partim cum mercibus infuderant, cõtagione importata; primùm vrbes oppidaque, mox villas regnumq; corripuerat insederatque. Iam intra eam publica munia negotiaque erant maxima, potior pars Reipublicæ, magni honores, primores Senatus, denique forum & ius. quando Sigismundus altiùs suspectans vim efferentis se mali,

Excursus ad diuersitatem religionum.

Quomodo eam coërcuit Sigismũdus.

Hæresim.

se mali, & aduersùm intentior, quod Sueciæ Regno exciderat, remediũ parauit, deferendo sufficiendoq; in præcipua munia & honores Catholicos, quandocunq; illâ ex parte aliquis morte cessisset. Non vltrà incitatæ pœnæ, non Senatusconsulta legesuè. vbi ad præmia septa fuit via, secuti statim pauci, & prisca receptaq; suopte etiam ingenio repetebantur. Nã largitiones in Polonia in manu Regum, & Sigismundus natura mitis, ac minimè formidatus, nouæ insuper artis repertor retentoruè, cunctatione, alienum ambitum spemq; ad mutandam religionem traxit, aliorum peruicaciã tædio & desperatione fatigauit. Continuata hæc ipsi ratio regẽdi per quinq; & quadraginta annos. composita Respublica, purgatus contagione Senatus, dispulsa seditionum discordiarumq; irritamenta, quies & otium Regno in longum parta, aut sublatis capitibus, minor vis in plebe relicta. Schisma vt domi natum, & quod subiectæ continuæq; tot Regno gentes tuentur sequunturque, haud perinde conuelli potuit. Nam quamuis remoto ab administrationibus, nihilominùs potentia magna erat, habenti in manu arma, & formidinem ex Cosacis, qui maximis imperijs interiecti, quàm Turcarum bella prouocant sustinentque, tàm sua libita ritusq; peruicaciter prosequuntur, perinde feroces in hostes suosque, compari inopiâ & libertate. Inita alia ratio, ad retinendam iuxta concordiam atq; obedientiam, erga Religionẽ Regemque. Quippe adnitente Sigismundo Clemẽs Pontifex nomine Octauus, paternâ indulgentiâ & moderatione, inspectis Græcorum institutis & cæremonijs, ex iisq; nonnullis reiectis, pluribus retentis, Ruthenos, qui eorundem cum Græcis rituũ sunt, ad vnitatem Ecclesiæ admisit, & Catholicis Romanis iunxit; indito vocabulo, quod proprium à cooptatione Vnitorum præferunt promouentque. Addita à Sigismundo templa, dignitates honoresq; Episcoporum, & alia decora, quæq; sibi ipsis, ferocissimas gentes popularesque, à Constantinopolitano Patriarcha, ad Romanum Pontificem, receptamque religionem reuocantes, præmium peperissent. Promouebatur ea res, non inserente vltra se Rege, magnis per prouincias inimicitijs & incommodis. licet populus partim schismate corruptus, partim metu suorum Antistitum, ne minueretur ipsis potestas impulsus, euersum ibat illud religionis auctarium. Sæpè aggregantibus sese in spem rapinarum egentissimis, tẽpla Vnitorum fœdâ licentiâ auaritiâque direpta, barbarâ immanitate in sepulchra, in requietem mortuorum, diuina humanaq; sæuitum. Sacerdotes & Episcopi quæsitis ad ignominiam cruciatibus mactati. Quorũ occasione, in Lithuaniâ facinus atrox, secutumq; illud miraculum omittere hic haud libet. Erupit illud in vnum ex Vnitorum numero, Archiepiscopum Połocensem. Nomen viri Iosaphatus Konczeuicius, celebre cùm ob austeritatem vitæ probitatemque, tùm ob diligentiam curamque, quâ plurimos ab schismate ad Ecclesiæ vnitatem viamq; reuocauit. Vnde odium. & tanquam ob flagitia intolerabilior habebatur. Igitur cœtu cõacto Vitebscij degẽtẽ inuadunt, ædes pari celeritate & rabie perfringunt irrumpuntque. Vulnerantur alij, alij fugantur ministri. Ipse ad clamorem cubiculo obuiã egressus, postquam irruentem turbam, factâ cruce signâsset, quidque posceret, quæsiuisset; mirum, repente omnium

Schisma.

Vniti eo adnitẽte cœperũt.

Non tamen prosperè.

Occisus Archiepiscopus Połocensis.

manus & furor perterritus, à contactu viri ſtetit obtorpuitque. Duobus deinde ad eum verſis, inchoata iterum ſe rabies collegit reualuitque. Raptatum inſanè cadauer, atq; indigniſſimis modis vexatum, alligatis grandibus ſaxis oneribuſque, ex monte, in quo ædes eius erant, in præceps fluuijque profundum iactum, altero ingenti miraculo ſanctitatem viri com-

A morte eius miraculũ.

probauit. Conſpectus illicò ignis, plurimam famã lucemque ferens, diu ſupra illud effulſiſſe ſediſſeque. idem cùm per profunda veſtigaretur, iterum ab imo emerſiſſe, ac quærentibus præiuiſſe, locumq; vbi latuit oſtendiſſe. Quod retuli vt cognoſcatur, quàm difficilè tardèq; manſueſcit peruicax & implacabile malum. quod attentum in potentiam & vindictam, cùm toto orbe hoſtes tunc in Catholicos quæreret, in nos quoq; iram rabiemq; ſuam Turcis tradere potuit; quanquam domi præ ſe tulit quietẽ magis quàm ſecuritatem. Nunc ad rerum ordinem venio.

Id exẽplum leges in Annalibus meis, Anno 1623. quo tempore factum.

Coſacorũ irruptio in Valachiam.

Inter quæ & alia, velut ad claſſicum futuro bello dandum, ad trium millium ſponte collecta Coſacorum, propter Tyram fluuium accolẽtium, manus, in Valachiam irrumpunt: villas, domos, agros, & quæcunq; inualida, ferro flammâq; peruaſtant. ſatis proſpero impetu, ſi eum per villas agroſque continuauiſſent: vrbes & caſtella, quò Valachi ſe, vxores, liberoſque, maturè contulerant, ſubeuntes, neq; metum clauſis addiderant, & audaciâ propè ſubeuntium abrepti, minori numero domum reuenêre.

Sacerdotum Synodus.

Sic temerè motis belli principijs, curæ quoq; publicæ per Poloniam incepêre. iuuentus, arma, pecuniæ parari, eâq; cauſa conuentus ab Epiſcopis haberi, queîs de tenendis firmandiſque cæremonijs, ſimul de

iuuan-

iuuandâ Republicâ, ad Sacerdotum Synodos referretur. Sanè rarum id, nec niſi ſupremis patriæ neceſſitatibus vſurpatum: tunc verò tanto imminente bello, proximè præteritis Regni Comitijs, vltrò ab Epiſcopis oblatũ reuocatumq; eſt. Quo tẽpore cõuẽtuq; Regni, inſignis & laudatis antiquorum exẽplis, ſimilis, Martini Szyskouij Epiſcopi Crac: ſententia fuit. quâ, vt priuatim procerum quiſq; dimidio redituum ſuorum Rempubl: iuuaret, cenſuit: ni quorundam arrogãs moderatio, ac ſi eo facto in poſterum libertati quiddam demeretur, ipſa vtili & honeſto, dempſiſſet conſenſum. Idẽ & ſecuta Pauli Voľuccij Epiſcopi Vladiſlauienſis ſententia habuit. quamuis nil certum, ſed pro arbitrio cuiuſq; conferendum cenſeret, Symbolum id caritatis in patriam appellans. Igitur præter decretas per Regnum octo indictiones, haud parua pecunia, ipſorum etiam Sacerdotũ munificentiâ collata eſt. Quò magis mirum fuit, quòd commoto velut templorum ære, Iudæi exiguâ imperatâ per capita, ſeptuaginta millium florenorum collatione euaſerint: gens non alibi frequentior, nec tantùm per ſolitum fœnoris flagitium, ſed tranſigẽdis negotiationibus omnis generis, adminiſtrandis etiã multorum nobilium bonis apud nos opulenta. Ita neglecto domi remedio & inopiæ causâ, foris, & in exterorum opibus expectatio fuit. Gregorius Decimusquintus Romanus Pontifex, deſtinatâ in Germaniam, Ferdinando Secundo Cæſari, haud modicâ pecuniæ ſummâ, vbi res religionis cum Hæreticis & rebellibus vertebatur, pari munificentiâ aliam in ſingulos menſes, quoad bellum cum Turcis durâſſet, nobis attribuit. nihil huius liberalitatis poſtea expertis, tam

Szyſcouij ſententia de iuuanda Republica.

Pauli Voluccij.

Iudæorũ exigua collatio pro potẽtia ipſorum.

Subſidia exterorum.

diu e-

diu eam ministris non expedientibus, quoad pax & dilapsa necessitas emanauisset. At ex Britannia à Iacobo Rege missa haud spernenda militum manus, legatum Georgium Osolinscium sequebatur: quanquã serum quoq; à tanto recessu subsidium, & in Liuoniâ Adolphi Gustaui artibus, meditantis tũ maximè nouum atrociusq; in nos bellum, ab aduentu in castra belliq; vsu auersum, in quo tamen prolixus animus & voluntas erga nos magni Regis patuit. Ab alijs præcisa spes fuit, per varias excusationes necessitatesuè proprias, aut inopiam ærarij, quod tantùm nobis defuit, nam animus in paucitate etiam superabat.

Iacobi Regis Angliæ.

Supplicationes.

Cæterùm antequam Petricouiam congressi Episcopi, collationes suaq; placita componerent firmarentque, pro fortuna Regis Regnique, suas quisque cum Sacerdotibus per prouincias decreuére supplicationes, adiuere templa, nuncupauere vota, haud fermè aliàs intentiori populo, ad publicam necessitatem, & eorum certamina. Equidem Cracouiæ, præter alia alibi reperta aut multiplicata decora, Septem Ecclesiarum honos, quia nouus, mouerat eò plus famam populumque, quò minùs Italiæ quoq; ipsi frequens, alijs etiam regnis negatus est. Dies quo à Szyscouio nuncupabatur, Sacerdotum copiâ, concursuq; populi celebris. plena vrbis itinera, templa, fora. festo cultu plebs, Magistratus, Sacerdotes. Ipse Episcopus, quamuis asperrimo hyemis, quò minùs per se designaret dedicaretque, haud abstinuit: deductus ingenti Sacerdotum agmine, prælatis signis, tabulis, votis, quæq; opulentia Regum, & prisca aut recens Polonorum pietas & munificentia, prosperè, vel in metu sacrauerat. Secuta deinde, Kalẽdis Maij, Petricouiæ Episcoporum comitia. Dum

Cracouiæ Septem Ecclesiæ

inductæ & dedicatæ à Szyscouio.

Dum ea hîc gererentur, iam Osmanus Cæsar in armis & viâ erat, ingẽti terrore apparatuq;, ab omni tractu partibusq; imperij, viris, equis, armis, eum sequentibus. Nam præter Tartarorum Ianissariorumq; suetum militum robur, compulsum aduersùs vnum regnum, quicquid castrorum aut hinc prætenditur, aut mari dirimitur. Accitæ cum ingentibus auxilijs procul & iuxta sitæ prouinciæ. Mota Arabia, Syria, Ægyptus, versiq; in Orientem populi, vt non virorũ rerumq; inopes, ita pleriq; longâ pace desides, ac bellorum obliti, numerus tantùm, vel quod famâ vix cogniti, terror. Sequebatur, nisi ad præsentiam Cæsaris arma sumere suetus, Magnus Chamus, seu Regulus Tartarorum, Dziambet Gereus. Comitata in aciem belluæ, magna vis camelorum, quatuor elephanti, summaq; totius supra ter centena millia exercitus. Neq; is in bellum profectionis Osmani dies, vt fermè magnorum operum initia, ominibus caruit, veris an fabulosis, à tanto interuallo haud discreuerim, nisi quod fama ventura nõ semper fallit, aliquãdo aperit; & post euentum, peracto velut vno ictu belli, mox Cęsaris fine, prout tunc maximè omina & vaticinationes depromuntur, plures vulgauère credidereque. Monitum à patruo Mustapha, caueret periculũ, quod, sæpiùs in somnis visa eum persequi miræ magnitudinis serpens, portenderet. Iisdem quoq; minis, ipsimet Osmano, obuersatam nocturnâ quiete, patris feralem imaginem: egredientiq; cui maximè insueuerat, pauidam è somno mulierem, ac si perfusum manantemque cruore vidisset, metu & illecebris adhæsisse. Adijciunt his, terræ motum, aliaq; plura, sua, aliena, ab ipso cõtempta, vt fortuita, seu quòd

Osmani in bellum expeditio.

Copiæ.

Omina & temeritas.

non vitentur, quæ fato manent, perinde obſeruata, quàm neglecta. Equidẽ ſatis conſtitit, fuiſſe aliquos, qui cogitationibus eius obuiam ibant, diſſuadebantque bellum: ſed obſtinatione & furore iuuenis correpti, ſuo exitio, cæterorum quoq; conſilia, & voces conſumpſerant. Nam eâdem cauſâ notatus quẽdam, probitate, iuſtitiâ, gentiliq; religione inclytum, ad alias innocentum cædes adieciſſe, & quod in omen imminentis mali vertebatur, immemor Oſmanum quoque nominari.

Hotkeuicij expeditio. Cùm hæc inſueta mali moles Regno noſtro inſtaret, Ioannes Carolus Hotkeuicius, in bellum quoq; accingebatur, nequaquam ſuetâ feſtinatione, primos rerum dies cunctatione terens. Quippe fama tenuit, deſtinatum intimis publiciſq; apud Regem conſilijs fuiſſe, non expectandum domi hoſtem, vt compoſitis caſtris intraret Valachiam, Neſtroq; & limine tenus propulſaretur, ſed præcipiendum iter in Valachiam, pontemq; inijcienti Danubio occurrendum. Siue enim, prout fluxa & ad omnem auram ſpei metuſuè mobilis genti fides eſt, in poſſeſſionem, ſiue in euaſtationem Valachiæ veniſſet miles, vtrumq; permagnum videbatur ferendo bello momentum, hoſti, aut tranſitu ad Danubium intercepto, aut permiſſo per annonæ rerumq; omnium inopiam. Seu verum fuit, idq; elanguit, vt habitus animorum eſt, principiò intendere conſilia effuſiùs, poſtea contrahere & attemperare, tandem pro naturâ rerum dirigere, & neceſſitate circumſcripta, ſequi non eligere: ſeu ex præoptatâ multis, hac hoſtem aggrediendi viâ, exagitata

Cur tardior. tunc fuit alijs nominibus in Imperatore mora. Nam cùm tantùm belli præ manibus eſſet, cauſam eius alij aliò, pro affectu & opinione, referebant. Pars in prudentiam Imperatoris, donec per Senatuſconſultum decreto ſexaginta millium potiretur exercitu. *Prima cauſa.* clara enim temeritatis Zolkeuij documenta, & niſi vires adfuiſſent, quibus ſuſtineri potentia Turcarum potuiſſet, poſiturum imperium non occultus rumor incedebat. Alij in negligentiam coëuntium militũ: *Secunda.* quos maturè antea tribus edictis, ad locum, Tatarzyſzcza nomẽ habet, fruſtra euocauerat. Id enim periculũ fuit, vt vetus & multorũ bellorũ Imperator, niſi adnumerato milite, velut tyro fortunam ex multitudine præſumeret: cùm poſtea decem & ſeptem millibus ſuccinctus, quod roboris cũ Lubomirſcio coëgerat iunxeratque; hoſtium immenſis copijs in Valachiam proceſſiſſet. Pleriſq; materia rumorum erat, *Tertia.* orbitas initæq; tunc & celebratæ Iaroſlauiæ nuptiæ. Nimirum datum exemplum militi, ſegnitiem aut alacritatem ex moribus Imperatorum ſuorum æmulãti: ire ipſum, portare auctoritatem debuiſſe. veniſſet miles, vbi Imperatorem euntem, eundemq; diſciplinæ & mandatorum ſupremum adeſſe ſenſiſſet. Nec deerant qui crederent, ſicut ſæpè ſuamet ſponte præſaga mens mali eſt, in animo eius tacitum aculeũ, ſenſumq; inſtantis fati obhæſiſſe: quo, ne vrgente exitu præuerteretur, in extremo & ſummâ vitæ, firmare domum poſteris, optatâq; ex coniugio prole agitauerit. Additum & hoc, rumoribus nihil ſilentio prætermittentibus, monitu Genethliaci, atque cupidine obſcura credendi, quemadmodum mos eſt Principibus viris, inter inſtrumenta rerum inchoandarum Mathematicos fouere, promiſſis quàm vero & ſcientiâ feliciores, accommodatum tum coniugium, quò

Quarta. quò astris opportuniùs euenisset. Nonnulli illud iactatũ, non obscurâ etiam famâ, in prõptu habuere: alacritatem excussam fuisse Imperatori, additis arbitris & moderatoribus bello, qui nihil ad id muneris ex se desiderari, aut vnquam antea voluerit, aut tum senex potuerit. Quod factum licet palam dissimularet, aut contemneret: haud dubium tamen habebatur, quin altè cum indignitate descendisset in animũ viri, & dignitatis tenacissimum, & nouæ gloriæ decorisq; tunc potissimùm, cùm geminatum imperiũ, nouæ potentiæ hospitem, ad insigne aliquod facinus magis accenderet, cupidissimum. Nec aliud eum, quàm iacta alea, necessitasque, & cæpta deserendi de-
Quinta. decus, in accepto officio retinuisse creditur. Inter hęc aliaq; apud plures, intimæ existimationis ætas habuit. quippe plerunq; præcauti Imperatores veriti fortunæ satietatem & retrocessum, in re quâcunque aggredienda ancipites consilij restitant, aduersùs incerta casuum vndiq; se circumspiciunt, & retrahunt potiùs sapienter pedem, quàm parta cumulataq; multorum annorum bona, gloriâque, in vnius horæ dent discrimen fortunæq; temeritatem, haud infrequenter præhabentes, vulgatam illam veramque vocem, *Fortunam esse iuuenum amicam*; cuius interitum finemque tam certò cuiq; expectandum esse, quàm vitæ. Quin curiosiores propiùs exemplo duos nostro æuo maximos Duces, Zołkeuiũ & Hotkeuicium, admouebant componebantque: quos tot victorijs celebres, longa ætas vertenti demùm præbuit fortunæ, amboſq; in extremo vitæ actu, velut in pœnam properatæ famæ, comparabili exitu, eadem in terrâ locoq; tu-
Cõparatio Hot- mulauit. Quos quia res ipsa nobis intulit, nonnihil inter-

interesit, sicut virorum primarum partium in Repu- *keuicij cũ Zolkeuio.*
blicâ, breuiter vt scire virtutes, ita admirari diuersa ingenia naturamque. Igitur his genus, ætas, opes, propè æqualia fuêre: magnitudo factorum par: ambo bellis Moschouiticis, Hotkeuicius plus Liuonicis, Sueticisq; floruêre. inde militiæ vtriq; magna scientia, sed vsus alij alius. Hotkeuicius subitus consilijs, sed euentu felix erat: cautior quàm promptior habebatur Zołkeuius. Ille bella manu & armis componere, alter sapientiâ & consilio, gaudebat. Hotkeuicius despiciendo pericula, agendo, laborando, famã extendebat: Zołkeuius fortunæ moderando, post captos bello Moschorum Imperatores, partam gloriã, intactumq; nomen quietè obseruabat. Alius nil ob formidinem recusabat: alius nil ob iactationem appetebat. Alterius temeritatem audacia in fortitudinem emendabat: alterius prouidentiam cunctatio in metum corrumpebat. Zołkeuius æquus, misericors, & sæpiùs exorabilis: Hotkeuicius grauis, intentus, seuerus, & malis iniucundus. Cæterùm in vtroq; nihilo minor erat pro gloriâ, vitæ cõtemptus; par cura publicæ salutis; eadem erga Regem fides, & pro Republicâ fatum: vt quantùm his alijsque virtutibus gemini, tantùm in officiorũ administratione, ab omnibus pares magis quàm similes haberentur.

Interim Stanislaus Lubomirscius Comes in Wi- *Lubomirscius ad Skalã oppidũ castra ponit 28. Maij.*
snicz, assumptis propriis cohortibus, & prõptissimo quoq; excito, ad quintũ Kalen: Iunias, castra ad Skałam oppidum posuit, ad primas belli curas, & vnde in vlteriora spes, prouidè intentus. Insessæ Nestri ripæ, ne transmittenti, cùm opus foret militi, aut iniiciendo ponti, hostiles copiæ impedimentum adferrent,

 (iam

(iam enim in Valachia Tartari, cum Duce Kantimiro volitabant) imposita præsidia, occupata munitaque loca, quâ arcendi erant hostes. Ipse in castris, nihil cæterorum extra curam suam pati, clam fidissimos ad hostes submittere, cõsilia eorum penetrare, exercitui commeatum conuehere, alimenta parare, machinas & tormenta cuiusq; generis explorare, reficere, iuxta ac si hostes adessent, stationes, ordines, vigilias intendere, fortissimum quemque, alios militia, alios famâ cognitos ambire accireque, præsentes interuisere, alloqui, hortari. Mouit exemplum & inuitatio, breuiq; alij se copiasq; castris intulêre. Quanto numero eæ constabant, haud quaquam inter tradentes discrepat. Decem & septem millia cum Hotkeuicii vniuersè fuisse, præter Cosacos, & quam Vladislaus Princeps manum postea addidit, fide digni tradunt. Inerant cum conscriptis priuatâ impensâ militibus administri belli & Cõmissarij, primariæ in Regno existimationis & nobilitatis viri; Nicolaus Sieniauius Scissor Regni, cuius frater Præcopius, suam quoque equestrem centuriam hastatorum ducebat: Matthæus Lesniouius Præfectus regundorum in Bełzesi prouinciâ finium: Michaël Comes in Tarnovv, Iacobus, Marci Sobiescij Palatini Lublinensis filius: Ioannes & Paulus Działynscij, hic Pokrzyvvnicẽsis, Bratianensis ille Præses: Nicolaus Kosakovvius Visnensis Præfectus, æquè consilio ac manu prompti; & Sobiescius inter alia decora à Dijs data, facundiam obtinebat, cuius adiumento & gratiam promeritus ciuiũ, & ab his Regeq; non rarò Reipublicæ curis & necessitatibus domi forisq; admotus, impositum munus & strenuè gessit, & vbiq; confecit feliciter. Adfuêre

Numero copiarũ.

Qui in castris Cõmissarij.

fuere pari nobilitate ac dignitate, bellicâque virtute conspicui, cum manu quisq; suâ, Petrus Opalinscius, Stanislaus Zorauinscius, ille Posnaniensis, hic Bełzẽsis Castellaneus: Bohuslaus Zieniouicius, Castellanus Połocensis, Georgius Dux Czartoriensis, Stephanus Potoccius, Alexander Sapicha, alter Camenecensis, Orsanẽsis alter Præfectus: Ioannes Rozrazeuius, Ioannes Ferensbachius, Stanislauius & Alexãder Prusinoui⁹. Attributis quoq; præfecturis & muneribus celebres viri, Simon Kopycinscius, Złotniccius, Ianouius, Rasouius, Mossinius, veterani fermè omnes, multorumq; non magis stipendiorum, quàm victoriarum milites. Quibus se addidit Rusinouius, cum leuis armaturæ, vulgò Lissouiensium cohortibus, redux tunc ex Germanicis tumultibus. Accessêre, non contemnendum additamentum, submissæ copiæ à principibus in Republicâ Regnoq; viris. Recepti sexcenti milites, ex peditibus partim, partim ex equitibus conflatus numerus, in perpetuum à Ianussio Duce in Ostrog, ad omne periculum expeditionemque contra Turcas Tartarosque, Reipublicæ ex amplissimis bonis adscriptus attributusque. Missa aliquot hastatorum vexilla à Thoma Zamoscio, Palatino Kijouiensi, quibus moderatores dati, Andreas Svviezynscius, & Albertus Sredzinscius. Addidit Raphaël quoq; Lescinius, Palatinus Bełzensis, hastatorum cohortem. Quos omnes nominatim persequi lõgum: & pluriũ notiores mihi sunt virtutes, quàm nomina.

Ita præparantibus se nostris ad bellum, interea Osmanus priorum consiliorum nostrorum, de Valachiâ occupandâ diu præscius, an metuens, id festinabat, vt transitum Danubij antecaperet. Nam Valachorum

Priuatâ impensâ conscriptæ copiæ.

Ianussij Ducis in Ostrog.

Thomæ Zamoscij.

Lescinij.

Osmanus in Valachiam properat.

Valachos sibi conciliat. chorum fidem callidè iam præuenerat, eos qui in castris erant, singulari cultu, ministerijs, atq; pro custodia sui ipsius habendo, vt potissimos. Hinc & absentium in eum studia, quanquam subinde metus, tamen simulatus fauor validiùs continebat. Nec omissæ in Alexandrum Valachiæ Principẽ, & Polonos, artes. Illius fides per Capudzi-Bassam, velut in partem curarum, re verâ ad custodiam & danda perspiciendaque consilia additum tenebatur: nostrorum constantia per vtrumque epistolis & promissis tentabatur. Iussi enim ambo, Imperatores nostros adhortari, vt modestiæ pacisq; decus capesserent, literas in hunc modum ad castra Polonorum expediunt. *Literas per suos ad Duces Polonorũ adornat.* *Non adeò obstinatum Osmanum, quin si Rex per aliquem notæ auctoritatis virum seriò incumberet, perfici pax inter vtrumq; populum, sine armis posset. Plerunq; irritari animos alienâ pertinaciâ: at si exemplum præbuissent, eandem mox voluntatem sui Cæsaris fore. Perspectum iam id sibi ex Vezerij literis, quarum magis impulsu, quàm sponte, ad petendam pacem nos cohortarentur. Mitterent igitur aliquem, qui spem concordiæ & conditionum Cæsari ostentaret. Si deinde conuentionis pœniteret, integrum fuerit armis consequi, quod per æquitatem non obtinuissent.*

Literarũ lator Veuellius. Ferendis literis, quò feliciùs dolus & fiducia procederet, Baptistam Veuellium Italum Candiensem, dictis factisq; ad fallendum instructum præficiunt. quod etiam tum spectabatur, velut Christianum, cæterùm in Valachiâ Græcis ritibus & seruitio imbutũ, prauum, callidum, audacem, prout sunt eius gentis ingenia, bonis artibus haud spernẽda, malis pessima, & quò inclinant, eadem vi. *Lubomirscius cũ ad castra non admittit.* Sed non confestim in castra admissum, Stanislaus Lubomirscius, ad villam Piatniczany, tenuit audiuitque. At ille tunc, & vbi se postea

postea militibus miscuerat, bona pacis, & discrimina belli disserere, omnem nobis spem victoriæ disijcere, ad petẽdam pacem omninò impellere; modò vires, potentiam Turcarum, copias gentium, Ianissariorũ extollere: rursus Osmani & Vezerij æquitatem, clementiam, propensosq; ad pacem animos promittere: atq; diuersis motibus, desperatione simul & spe audientes terrere accendereque. eo sanè vtrumq; fine, vt aut securitate solutis atrocius bellum incumberet, aut metu territis, pax, quibus Turcæ vellent conditionibus, accederet. Neq; enim eam omninò Turcæ renuebant, non tàm adhuc cœli, soli, itinerum, laborumq; pertæsi, quàm insita ex superstitionibus diuinatione anxij. quâ pro certo tenent, fore vt ipsorum imperium à Septentrionis aliquo populo concidat, eripiaturque. Et quamuis sua ipsos potentia, præteritæ victoriæ, odium, pudor, ne vani irritiq; desisterẽt, impellerent: retinebat tamen contra, triste præsagium, experta in victorijs difficultas, & mira nostrorũ virtus, in aduersa & pericula contumax, quoties relinquebatur, toties suismet malis & discordiâ victa. Igitur ad id quod procederet intenti, nec bellum, nec pacem omittebant, gnari, quandoq; ante armorum experientiam, multò plura confici posse: quòd de absentibus maiora creduntur, & qui bello terrerent, timentes quoq; timeri. Sed Lubomirscius ad legationem Turcarum, nullo priuatim expedito responso, eam & Veuellium, quanquam instantem, aduentui sententiæq; Hotkeuicij reliquit. *Tenet ad aduentũ Hotkeuicij.* Interim Alexander & Capudzi-Bassa, Veuellium diem de die prospectãtes, mox omnium quid confecisset dubij, postremò spe quoque reditûs deficiente, circummissos per auia Tarta- *Hostes expectando fessi immittunt Tartaros.*

Tartaros, in Poloniam immittunt. Vastati agri. actæ
iam prædæ. cùm repentè nihil tale sperantes, adeptus
inter ignota locorum Lubomirscius, omnem prædam, & immisso Kopycinscio fugam eripuit. Vadum petebant, sed pauci tenuere: reliqui in præcipites ripas compulsi, aut iactantes arma periere, aut inter pugnæ fugæq; consilium oppressi, interiere.

Fundit Lubomirscius.

Vladislai Principis expeditio.

Numerus copiarum.

Ijsdem diebus Vladislaus Princeps Varsauiâ Valachiã versùs mouit. Profectio erat paratu mediocri, sed delectus miles, non multa nomina. octo millia exercitus. Comitabantur, Ioannes Waier Palatinus Culmensis, Ernestus & Gerardus Dinophij, selectis cum centurijs peditum Germanorum, viri non magis nobilitate, quàm fortibus factis, & gloriâ militari illustres. Aderant haud minori alacritate, cum suâ quoq; hastatorum militum manu, Stanislaus Nimira, & Constantinus Plichta; ille Podlachiæ, hic Sochacouiæ Castellanus; vt dignitate, ita virtute & æmulatione eminentes. Nicolaus Kochanouius, vir martialis, & maximæ dexteritatis. Dirigebat prætoriam Vladislai cohortem, Martinus Kazanouius, bellorũ vsu inter paucos, per multa stipendia, operamq; multis in expeditionibus egregiè positam, ad æstimationem simul, honoremq; Principis, enixus. Nec minor manauit amor patriæ, aut Principis sui cura, ex Paulo Wolucio Episcopo Vladislauiensi, & Alexãdro Duce Radiuillo: submissumq; ab hoc equitum leuis armaturæ vexillum, tria peditum signa; ab illo hastatorum cohors, cui Philippus, frater Episcopi, Castellanus Rauensis, præerat. Accesserant procerum nobilium filij, officium studiumq; erga Principem, & maturam armis iuuentam ferentes, Constantinus Dux

Qui præcipuè comitabantur.

Dux Wisneuecius, Adamus Przyemscius, Andreas de Dabrovvica Firley, Stephanus Konecpolscius, Sigismundus Tarło, Thomas Sobiescius. Quod solenne est magna aggredientibus, Vladislaus priusquam iter iniret, templum adijt. Eodem vexillum eius illatum: & procurando sacrificio, Franciscus Diottaleuius, Nuntius Pontificis Maximi, prodijt. At vulgatâ profectione, illic ruere populus, circũsistere aras, complere sacraria, portas, vestibula, quàque adspici poterat, corpora, ora protendere, insistendo quisque non studio magis spectaculi, quàm publicæ solicitudini & curæ. Quippe subibat intuentium animos, Osmani simul potẽtia, ferocia; & vtrorũq; iuuẽta, velut ad supremũ discrimẽ cõparata: terra quã peteret, sæpiùs nostrorũ sanguine infecta infaustaque: occisi illic occidione tot exercitus: nõ dum detersa oculis, recens fortissimorum virorum Ducumq; cædes, aut captiuitas: tum incerti casus bellorum, sortes hominum. Quem deinde scire mortalium, vtrius euentus, vtrius fortunæ, bello iuuenis permitteretur? reditur ũne aliquando cum victore exercitu; an vltimum iam videntes, prosequerentur? Ita ab admiratione in curam immersi, cùm silentio defixi starent, obuersus Diottaleuius, admotum altari vexillum iuuenemq; intuẽs solennem precationẽ, quâ propitium proficiscenti Numen, ac præsentem opem, à cælesti militiæ Rectore implorabat, peragere cœpit. Eãdem omnis turba, proprijs quoq; votis & acclamationibus iuuare. quicquid sacrati oculis, quicquid animo occurrit precari, felix faustumq; iter eunti darent; breui deinde victorem, incolumemque sibi ac patri, sisterent. Hunc publicum fauorem, priuatum omen secutum.

Ab imploratione opis diuinæ inchoat.

Diottaleuius Summi Pontificis Nũtius, vexillum cõsecrat.

Vota populi. Egredienti enim, mulier obuiam progressa, binos panes obtulit, auspicium prosperi euentus. quidam solitum id, & pluribus locis, nuspiam elanguescente curâ fauoreq; erga ipsum hominum, factum tradidere. Ferunt quoque, prout pleraq; ex externis coniectare hominibus mos est, eum statim tunc, intuentiũ oculis, spem haud dubiam prosperi successus indidisse, cùm plenus sui, vultu præfidenti lætoque, inter populi allapsum fluctusq; progrediens, fiduciã, quæ solicitudine subinde residebat, excitaret innouaretque. *Spes non de nihilo conceptæ.* Nec minùs animabant implebantq; certioris ex ipso spei homines, res in Moschouiâ ob oculos incurrentes, quãuis gestæ sub Patre, summæ; oblatũ vltrò iuueni quàm erat speratum, à Moschis imperium: cadentia omnia ex voto & eodem cursu, & cùm cætera defuissent, qui incertum rebus demum suorũ deploratis, promptiùs miseretur an fauet, præsens comesq; vbiq; ipsi Deus. à quo occupauerat iam omnes persuasio cælestis auxilij, cùm explicatum vexillum, in eoq; triumphalem tesseram, & præscriptam victoriam, victoriæque causam intuerẽtur, PRO GLORIA CRVCIS. *Inscriptio vexilli.*

Hotkeuicius in castra venit 16. Iulij. Subinde etiam Carolus Hotkeuicius, Lubomirscium cum legionibus, loco, Rzepieniec nomen est, assecutus erat. Quod ab Alexandro & Capudzi-Bassa suadebatur, non renuit, per Veuellium ad id adductis plurium animis, ipse ne repudiato legato apertè hostis fieret, magisque vt experiretur: gnarus multa bella tædio euanuisse, & quanquam atrocia de hostibus præsumerentur, minorem iam esse, pacem offerentium, animum. Legatum tamen suum Veuellio segniter addidit expedijtque, necessitatem dissimulans; an quod dissimulari non potuit, omnibus vt aliquis mitteretur vrgentibus, ad pericula nemine se offerente: Tandem Theophilum Szembergiũ accersijt, virum expedito & sagaci ingenio, quiq; dignitatem Regis, Reiq;publicæ, præ oculis habiturus esset, animo præsenti & imperterrito, datisq; ei ad Vezerium literis, prioribus Alexandri & Capudzi-Bassæ, ita respondit: *Szembergium ad Turcas mittit.* *Literis respõdet.* *Pridem in manu Turcarum vtraq; bellum & pacem fuisse: neq; enim Polonos sponte, sed ab ipsis prouocatos arma cepisse. Neq; se à pace abhorrere, decora modò ea sibi gentiq; fuerit. Eapropter mitti vnà ad ipsos, & ad Vezerium eundem nuntium, qui id palam exponeret, & ad quas ipsi inuitarent, pacis conditiones spectaret. Propinqua iam & propè obuia esse, consilia & arma, conditionem & sanguinem, quodcunq; horum pace, aut bello Cæsarem, idem & se absolueret.*

Cum his & Szembergio, Veuellium per quadraginta & octo dies retentum, dimittit. Ipse nihilo secius incerta pro certis non apprehendere, Cosacos in societatem belli continuò accersere, exercitum propiùs hostem adducere, summâ curâ, prouisu, omnia agere; si pax haberetur cautus, si bellum, nec suorum, nec hostis occasionum negligens. *Oblatam pacem suspectam habet.* Iam Nestrũ attigerat, & quoniam ad priora consilia, interripiendumq; transitum Danubij tardatum fuit, vbi sisteret bellum, consultauit. *Deliberat, an transeundus Nester.*

Diuersis sententijs eâ in deliberatione certatum, prout plerunq; consilia sibi quisq; attemperat, indulgendoq; moribus, talia causæ naturæq; obtendit, qualia ipsi propria virtus inclinatiouè suggerit. *Dissuadent alij.* Quibus manendi voluntas in sua terrâ erat, eò deflectebant. *Frustra seroq; resumi cupidinem Valachiæ, occupatæ iam possessæq; ab hoste: aut si in confinio eius, vbi vacua, standum esset, nihil inde accessurum, & insessus hâc illâuè parte ripis, potiorem salutem incolu-*

incolumitatémq́ patriæ esse, à quâ non oporteat abducere abrumpereq́ copias, tanquam à corpore præcipuos & validissimos artus. Propriora quoq́ omnia domi, & velut inuicem connexa, commeatus, auxilia, atq́ etiamsi aliquid fortuna contra daret, spem in Rege, Senatu, Republicâ. Iam Turcas, si non ademptione terræ irritentur prouocenturq́, mitigari, atq́ ad pacem promptiùs induci posse, obstrictos modestiâ, quâ nihil vltrà nisi pax & quies etiam armis quæreretur. Modicam sibi manum, totamq́ eam vim esse: quid, si, vt periculorum cupidos pericula sæpè hausêre, tolleretur; quod aliud auxilium? sin prosperè ageret, id quoq́ formidolosum, contra hostem acriùs in sua terrâ vindictæ incumbentem, & aduersa tot indomitis & præferocibus gentibus nationibusq́, iuuare & reparare promptum. Satis iam pretij, satis documentorum, ex appetitâ tentatâq́ Valachiâ relatum: tot illic exercitibus, tot egregiis Ducibus cæsis amissisq́, quorum spolia adhuc & tela in manibus hostium cerni. Eò quoq́ respiciendum, inter peruia omnia & aperta, orbari discessu militum patriam, tot vacuas vrbes & oppida, irrupturis hostibus relinqui deseriq́. deniq́ exercitum maximis periculis obiectari, maioribus patriæ defuturum.

Alij suadent. Aduersùm hæc alij contendebant: *In rem magis fore transferre signa, transportareq́ in Valachiam bellum, quàm illud hostes secum ferrent, summoq́ damno, quod satiùs alteris futurum fuisset, occuparent eriperentq́. Pauca sanè iam illic patere oppida: sed exiguo spatio soloq́ Nestro disiunctis, & domum iuxta, & ex eâ quicquid bellum posceret, ad manum fore. Præoptandam quidem, præferendamq́ pacem & quietem bello: sed præterquàm istud detrectando, augeri addiq́ hosti animum, nec illam ampliùs haberi, quoquo modo finiatur, nisi vt perinde ac bellum damna secum trahat. Bello quippe intentis, pacem procedere optimè ac finiri; & ius, quod hostis in armis reponeret, non spe votisq́, sed pariter armis tutiùs componi propulsariq́. Id pridem fas armorum, id ius hostium. Non enim ignauiâ magna imperia contineri, sed virorum armorumq́ faciendum certamen. quod pro tutando proprio, tantò maiori discrimine à quouis suscipi geriq́, quantò inter*

hostes,

hostes, propior noxæ fiat, qui alteri non nocet, & tutiùs in alieno, tam cum hoste disceptaretur, quàm periculum fieret. An vbi nihil naturæ ingenio clausum, nihil satis firmum sit, atq́ irrupturis hostibus via vndiq́ per aperta pateat, aut desubitò aggeres & munimenta struere, aut vndiquaq́ occurrere hostibus vllæ manus possint? Quæ non virtus, non arma texerint, frustra ab operibus & munimentis tuta fuerint. quæ vt hostes tenuerint arcuerintqúe, ita nihil præsidij aduersùs militum auaritiam insolentiamqúe domi habuerint, & nonnisi patriam damnis suorum perinde ac bello hostium diuexandam, atterendamq́. Quicquid remedij, quicquid quietis quæreretur, omne in Valachiâ ostendi. prohiberi suos pariter hostesqúe, à raptu patriæ & populationibus. hostes ad omnem timorem exponi. viam, quâ ipsis in Poloniam aditus esset, intercludi. pro vindicandâ liberandâqúe patriâ, obsidem hostium terram accipi teneriqúe. peruicaciam hostis ad manendum defendendumqúe sua, adigi retrahiqúe. exiguum exercitum viresqúe, quæ vix ad tutanda propria satis fuerint, ad inuadenda aliena, & arcendum simul inferendumqúe bellum, pares effici: metum speciemqúe transeuntium, ad vlteriora immitti; & si spes vocauerit permiseritue, aut arripi, aut terrorem ex subitis insperatisqúe, latiùs quàm arma spargi. quæ domi cara, quæ foris honesta, & expeditiora arma, & pacem æquiorem obtineri.

Atque hæc sententia præpotuit, & concitatione militum, ne iniectâ cunctatione alacritas eorum languesceret, & ardore Hotkeuicij, quem nauandæ operæ pugnæq; cupidum, non prætermissurum ostentatam occasionem pro certo habebant. Quippe nonnulli, quanquam ei consilio, vtpotè ancipiti, & in quo peccari posset, non minùs auiditate & impetu, quàm securitate & negligentiâ, non vsquequaq; erant adsentientes; circumspecti scientesq; spes & dubios successus, cùm de summa rerum agitur, in consilium non admittendos, certisq; tunc & firmis insistendum: *Transit Nestrum.*

tamen

tamen primos hos conatus permisere dissimulauereque, destinatâ in ducendo bello morâ, tunc Imperatorem non irritaturi. Nam Hotkeuicium vnicè auidum decernendi cum Turcis, inconcessumque alijs referendi de ijs Victoris titulum fuisse, ferunt. seu verum id, seu alijs bellis laudatus, in præsens transtulit opinionem cum impedimento. Rex certè, vt in Valachiâ constitueretur bellum, crebris literis vrgebat. Nec paruo Cosaci incitamēto erant, negantes se priùs ad castra bellumq; venturos, quàm hæc trans Nestrum constitissent: siue commilitium illic loco veniæ expetentes, ne toties inter vtramq; gentem restauratis offensionibus, soli querelis tantùm vindictæq; incurrerent; siue liberiùs libita & raptus in hostico acturi, destituti stipendio per necessitatem in hostes feroces, compari periculorum negligentiâ & egestate. Cæterùm fides ipsis obligata, sponsumque, pacem, fœdus, aliasq; pactiones cum Turcis, nisi ipsis annuentibus facturos, eosque in ijsdem conditionibus futuros.

Id Rex iussit.

Et Cosaci nisi transissent, venire detrectabāt

Pronuntiatum igitur in Valachiam iter, vbi septimo & decimo Kalendas Septembris, exercitus trans Nestrum stetit, postquam Lubomirscius cum copijs suis, octauo Idus Augusti, anteuenisset. Insessus locus ad Hotimum oppidum, vacuum tunc & timore fugâq; accolarum desertum. Ante planities fundebatur, eliciendo hosti, conserendæque pugnæ opportuna; coërcitâ tamen prolixitate, nimiæ multitudini inutilis, & in quâ vti se toto hostis non potuit. Latus alterum ad fluuium Nestrum protendebatur: ad cuius propinqua valles & humus modò depressa, modò elata, inæqualiter sinuabatur: alterum virgulta ponè inter-

Valachia insessa 16. Aug.

Locus.

internata, syluasq;, & cauas etiam vias sinusque habebat, apta struendis occultandisque insidiis. Tergum tutum dabat oppidum, arxq; in excelso & prærupto sita. quam Nester præterfluens, in læuum latus flectebatur. Istud Hotkeuicius sumpsit. Lubomirscius in dextro consedit. Media Vladislao relicta sedes. Ad Hotkeuicii latus fana Græca duo erant; ligno vnū, muro aliud eductum. Propius, adueniens Dinophius Præfectus Hiperbolensis, cepit, fossaque & operibus communiuit: muro eductum Kochanouius tenuit. inter quos interuallum vacuum locati Germanorū pedites insederunt, connexeruntque. Infra quicquid ad Nestrum superfuit variè, Russinouii modò cum Lissouiensibus, modò Cosacorum Zaporouiensium statio fuit. Altera Nestri ripa, ne transitus subsidiis cōmeatibusuè impediretur, à Vladislao lectis cohortibus asseruabatur, perinde aggere castrensi fossâque clausis. Positæ contra aduersa aut suspecta intentæ excubiæ & stationes; fixa opportunis in locis tormēta, & pone fossas erutamq; humum, vt nunc vsitatū, defossæ curruum rotæ, iniectâ desuper terrâ pro aggeribus, laborem pari alacritate tribunis, præfectis adiuuantibus, quàm militibus properantibus, sequentibusque. Promulgata etiam edicta sanciendæ disciplinæ, contra vim & iniuriam, & necubi loco quem cepissent, decederent, pabulum & ligna, nec iniussi peterent, nec passim, stationes, vigilias, diurna nocturnaq; munia pariter obirent. Quibus Imperator seueram, & antiqui moris, militiam reuocans, ita mutauit milites, vt non minùs virtutes eius vererentur, quàm præteritorum facilitatē amâssent. Feruntque voluntarium militem detrectantem vigilias, quòd sibi pu-

Positus castrorū.

Disciplina militaris.

Seueritas Hotkeuicij.

bi pugnam tantùm, castrorũ officia stipendiarijs conuenire dixisset, morte statim punitum. Ita ex vnius pœnâ, metu in omnes sparso, singuli deinde obedientes facti, nec tam diu cuiquã venia cõcessa, quoad delictum, veniam superauisset. Cæterùm pons supra Nestrum, sæpè cœptus, sæpè ab aquis deiectus, tædiũ & moram cum summo incommodo exercitui obijciebat, in quo fabricando, & magnâ impensâ, & varijs exterorum ingeniis desudatum fuit. Repertus tãdem, qui struxit vnus è plebe, Ruthenum fuisse alij, alij Lithuanũ ferunt, prout quodcunq; egregium in humili conditione memoriam sui vix tuetur, nec alibi citiùs præclarè factum, contemptus & obliuio inuadit; sed fortunæ magis & ambitioni, vt pleraq; alia cedit. Operis minimè ardua erat ratio & modus, eoq; apud expendentes plus admirationis adepta. Sublicæ structæ & dispositæ duplices, tenues satis, ne cum rapiditate vndæ colluctarentur, neuè mouerentur in aluei fundo; tertiâ pari propè formâ & mensurâ, sublicâ inuicem velut compede vinctæ. His non firmus modò, sed etiam carris, curribus, alijsque oneribus, satis fidus pons fuit.

Pons fabricatus.

Quod hostile primũ apparuit, quinq; millia Tartarorum Duce Kantimiro castra aggrediuntur, non sicut alias prædatoria manus, sed dilecti & antecapere gloriam festinantes. Duo millia, ad Nestri marginem, vallem occupare, latusq; læuum incurrere iussi. Tria per inuios saltus circũducta, in syluis pone dextrum latus, Kantimirus secum occultauerat. Transmissâq; celeriter fossâ, Cosacis absentibus, necdum completo illic campo, ad castra peruaserant, ni Piotrovvscius tum fortè ab excubijs Nestri rediens, lapsus in

Kãtimirus primam oppugnationem castrorum inchoat 31. Aug.

hostem & necessitatem pugnæ, eiusdem alios admonuisset. Missi delecti iaculatorum peditumq́ue, qui partim à fronte, partim à latere incurrentes, prõptissimo quoq; deleto aut saucio, cæteros in fugam disiecêre. Acrior in Lubomirscium vis incubuit, & ille impatiens oppugnationis, in apertum proruperat. Vbi ab dextrâ parte syluæ erant, aliquot signa arctiùs collocat. ab his propriam cohortem, quã promptam ad pericula, nec minùs ex lectissimis paratam habebat. Rozrazeuij, Herborti, Stanislauij, Złotniccij cohortes, in primam aciem subducit. in subsidiis Lesniouii esse iubet. Postquã prælium commissum: non vti mos Tartarorum, assultare, dein' cedere, sequi dein' refugere; sed comminus & acriter instare, concurrere, implicare, perturbare acies, ferociùs in aduersos tendere, quàm semet regere, animos supra vires tollere. Et nimiâ ferociâ vnus, per confertissimos contendens, non ante prælium omisit, donec perfracto capite, ante ipsa munimenta caderet. Lubomirscius, vbi contra ac ratus erat prælium crescere, & Tartaros magnâ vi incumbere videt, animatis militibus, non tàm gloriâ ex vili hoste, quàm dedecore & curâ demendæ in futurum ipsi confidẽtiæ, cum suâ cohorte in confertissimos celeriter inuolat: alias, vbi magis opportunum, inducit. Cessit statim pertinacia, & acuente vires irâ & indignitate, acerrimus quisq; hostium fugæ vltimus fuit. Terga in syluas à Tartatis conuersa, non vltra secutis victoribus. Strages tamen magna fuit, ex latè contecto cadaueribus campo æstimata, non sine aliquo nostrorum detrimento. hâc certè victoriâ spe sua hostes deiecti, qui-

In Lubomirsciánam portam maximè incumbit.

Vbi fugatur, & sternitur.

ctì, quibus facilis ex paucitate, & tunc nondum collecto toto exercitu, victoria inhæserat.

Vauellius ludificat legatum.

Veuellius certè successu legationis lætus, ac fortè vlteriorem gratiam, ludibrijs legati nostri sibi parās, in suscepto cum Szembergio itinere, festinare, morari; procedere, regredi; & quâ via acciderat per fagetulanas syluas, velut errore huc illuc cum ipso ferri, remeare. Iamq; ad monasterium, Hutz nomen est, Turcarum castra assecutus, consultò ea præterijt, idētidem legationem Szembergij præripiens, & solum sæpiùs, locis latrocinio infestis, relinquens. Atq; ni Dij ignominiam prohibuissent, fœdum mancipiū, sacrum legatorum ius, propè in ore exercitûs nostri violâsset. Nam inter nostra & Turcarum castra, sex & decem leucæ intererant, quas Veuellius suâ morâ & artibus, per viginti & vnum diē eundo extraxerat.

Osmano ab aduentu eius crescit animus.

Sed magis aduentu Szembergij Turcæ sustulêre spiritus; & Osmanus immane quantum, animo facilitatem nostram vt metum accepit. Ardescere inde magis in vlteriora, non bellum, non pericula, non dubios sibi euentus; sed prompta omnia, vrbes, prouincias, destinare. Ac velut peracto bello, finem inconstantiæ perfidiæq; vindictâ facturus, Valachos, quos ex innatâ ipsis leuitate contemnebat percolebatque, omnes trucidare iubet. Quadringenti fermè diuersis è tentoriis, quos simul vescentes dies, simul quietos nox habuerat, à Turcis extracti interfectique. Quâ cæde cognitâ, alia multitudo certatim ex vrbibus, agris, in iuga montium, Transyluaniam versùs, perfugit. Nec Alexander Princeps eorum, eandem & ante se Principum sortem euasit, nullius ausi conui-

Valachos exinde cōtemnit & interficit.

Alexandrum quoq; eorū Principem.

conuictus; fidus, innocens, & alibi quàm in imperio, felicior. Natione is Græcus fuit, diu vectigaliū exactor, eâq; causâ Osmano carus. nouo deinde tunc anno, nouissimam potentiam pecuniâ adeptus, non effugit paria, vt alij, odia, & consueta illic magnæ fortunæ pericula. Exitus eius eam causam famamq; habuit, quòd prohibere transitum Polonis in Valachiam, & Hotimum firmare præsidijs omisisset.

Bernauius captos aliquot Polonos ei offert.

Peractâ Valachorum cæde, Osmanus cuncta ita prona sibi ratus, ire cominus & certare pro victoriâ cum Hotkeuicio, an inferre in Poloniam signa, imperiumq; petere constantiùs foret, agitauit. Forte tū in eius castris erat Bernauius, vetusto in nos odio, perq; latrocinia Podoliæ clarus, eoq; superstes & magnâ gratiâ Valachus. Is acerrimus instigator Cæsaris, adductis ei decem & aliquot Polonorum captiuis, testimonium operæ à se collatæ ad bellum, quos recens ex populatione interceptos abduxerat, ire rectà Camenecum, statimq; vacuarum vrbium, oppidorūque captiuitatibus, vt insisteret, hortabatur. *Quid enim staret contra, & strueret aciem aduersùs inualidum senem, semet cū paucis cohortibus, castris & vallo occultantem? Victum iam eum esse, quod Nestrum transierit: ideòque pœnitentiâ cœpti, pacem aut fugam circumspicere, ne strepitum quidem & clamorem tot millium, nedum impetum & manus perlaturum. At si aliâ adhuc ex parte, ferro fameque clauderetur, procul ab annonâ, auxilijs; inopiâ rerum, aut in deditionem extrusum, aut è latebris suis exeuntem, quomodo hos paucos, quos adductos ad se cerneret, ita ipsum cum copiis in manus Cæsaris venturum.* Et promptus ferocibus Cæsar, quo minùs quæ suadebantur arriperet, virtute tunc Cosacorum deterritus est.

Hortatus vt præter eat castra, intretq; in Poloniā.

Cosacorū ad castra iter.

Aduentabant per Valachiam quadraginta millia eorum, subsidium bello, & debitum Imperatoribus nostris

nostris obsequiũ ferẽtes. Quacũq; ibãt, cædes, populatio, terror: adeò latè, vt Alexander paucis ante finẽ suum diebus, vrbem Valachiæ Iassum, omni fortunâ apparatuq; belli instructã deseruerit. Sed ea à Cosacis intacta, ab ipsis Valachis direpta est: nam Cosacorũ populatio cauta, intra oppidum Sorokam stetit. Vnã tamen cohortem, centum triginta numero Cosacorum, cupidine prædæ longiùs effusam, inter oppida Kutnerum & Sotzauam, Turcæ circumuenerunt. Illic diu frustraq; semet pro illis affligando, postremò desperatâ victoriâ, opem plurium legionũ à Cæsare inuocant. Quia Cosacos esse nuntiatum est, ipse vniuerso cum exercitu, triginta millia passuũ emensus properè adest. Septuaginta eorum, ad proximas montium specuumq; latebras, pauore profugos, ora & exitus sarmentis & virgultis complens, igni fumoq́ue enecat. alios, quos virtus & necessitas eodem loci tenebat, in orbem circumdatos, impetu & cominus, pertinatiâque, quam tanta vis armatorum multitudoq; nimiùm ingens suppeditabat, viuos capere nititur. At illi pariter orbe facto, omnibus partibus se tegere, acriter vim repellere, cædere alios, alios obtruncare, & pernitiem in hostes vertere. Occiditur Kur-Bassa. abripiuntur aliquot vexilla. & promptissimus quisq; cadit, aut vulneratur. Tum Osmanus dirigere tormenta, globos excutere, crebrisq́ue ictibus disijcere campo hostem iubet. Sustentata hæc quoq; à Cosacis ad noctem vis: sed confectæ paucitati, cùm nihil reliquum spem faciebat, quàm vt aut cateruis hostem peruaderent, aut sparsi quoquo modo fugâ elaberentur, obscuro noctis, virtute aut fraude, penetrare hostes, seq; eripere volunt. Deinde cùm pariter

Cohortẽ eorum Turcæ toto exercitu circũueniunt.

Pars fugit.

Pars supra fidem se defendit.

Postea vincitur.

pariter vtraq; sibi aduersa tentassent, retrorsùm acti, rursùsq; eodem loco conglobati, adhortari se inuicẽ, monere, non victoriam ex se sed suppliciũ peti, post carragine sese claudere, rotas curruũ defodere, terrâ obruere, scrobes moliri, quibus tuti aduersùm tormentorum ictus, & ex occulto in patescentes irruentesq; iacularentur. Quod plus famæ quàm fidei habiturum fortasse est, per triduum illa manus tot millibus hominum suffecit. Vi tamen nequaquam subacti. quæsitum secundò per noctem effugium, & obstructa qualibet ex parte fugiendi via, dispersos, & inuicem vitabundos, vt custodias frustrarentur, in manus hostium tulit. Tam difficili victoriâ, anxius Cæsar, cupidusq; visendi, qui illi tot per annos opes suas spernerent fatigarentque, omnes ad se adduci iubet. Adducti triginta numero, tot enim à tormentorum globis supererant, prout nulla ipsis cultus affectatio est, pleriq; laceri, & tantùm sagulo leues. Hinc visendi pudor, deinde indignitas, ex illâ ira. sed quia virtus eminebat, cupiditas quoq; talium habendi, animũ Osmani in diuersum trahebant. Deniq; aut beneficijs ac promissis allicere, aut si renuerent, metu, quęcunque postea adeptus, trucidando, coërcere genus hominum decernit. Vicit præsens rabies odiumq́ue, præcepsq; ad crudelitatem Osmani animus, direptũq; à laterre ferrum, cum denis & aliquot insuper non repugnantibus immersisset, in cæteros vltionem & sæuitiam, quam sua manu vltra non poterat, porrecto alteri ferro, in conspectu suo exegit; quò aspectu, palpitantium exspirantiumq; frueretur. Duos tantùm veniæ prioriq; consilio reliquit. Eorum vnus multis cum priuatim donis in spem & ostẽtationem cultus, tùm

Suppliciũ ex victis.

tùm publicè magnificis pollicitationibus inſtructus, ad corrumpenda Coſacorum caſtra miſſus eſt: alter pro emiſſo fide datâ, morte ſua ni ſe ſiſteret compenſandâ, pignori ac vadimonio pro reditu prioris ſeruatus.

Comitia Varſauiæ. Per eos dies Varſauiæ Comitia habebãtur. Quod proximis, idem & ijs curarum publicarum caput fuit, bellum Turcicum. Sed præſentior iam res, & venientis cũ Oſmano immẽſi exercitus fama, ne quanquam egregij Imperatores ſummam belli parum tolerarent, vt intimæ vires regni excirentur, eò conſilia adducebant. *Expeditio Generalis.* Itaq; omnium Ordinum conſenſu, expeditio generalis per omnes prouincias decernitur, ſtatimq́; exequitur. Vocati Senatores, Nobiles, & plebeij, pro facultatibus ire cum Rege, aut dare militem cõacti. *Staniſlao Witowſcius arci præſidiũ relinquitur. Vrbi Martinus Szyſcouius. Eius egreſſus,* Ac ne inermis, ad finitimorũ tumultum metumq́;, Cracouia deſereretur, cura arcis Staniſlao Witovvſcio Magno Procuratori eiuſdem & redituum Regiorum; vrbis, Martino Szyſcouio Epiſcopo Cracouienſi, commiſſa eſt. qui deinde eam ingreſſus, inſignes conſcripſit propriâ impensâ induxitq́; copias: quatuor peditum v[illegible]a, vnam velitum cohortem, duas equitum alas, non minùs decorum ſpectaculum, cultu phalerisq́; fulgentes, quàm terribile, præ altis haſtis, leopardorumq́; horrentes tergis. aduecta quatuor tormenta inſignis magnitudinis, & diſpoſiti per ditiones, qui ad arma ſubditos cogerent, ſi de periculo conſtitiſſet. nunquam lentus remedio in tempore, non ſubita & prompta in Regem Remq́uepublicam ope. Nam ne facilè hoc loco aliud eius animi factum prætererim, quod malè, vt permulta de Principibus viris ſolent, intercideret, cùm bellum

Moſcho-

Moſchouiticum, ob non perſoluta militi ſtipendia, in Confœderationem erupiſſet, iſq; & à cauſâ, & à victoriâ ferocior, partitis ſuâ ſibi deſignatione in alimenta vrbibus & ciuitatibus, donec merces repræſentaretur, reditus Regis auertiſſet: inter ea turbamẽta, non Regem modò adiuuit optimis conſilijs, ſed quod pluris tunc erat, argento & ſuppellectile ſuâ oppignoratâ, opportunum ſubſidium Regi tulit, à pecuniâ & reditu deſtituto. *Magnificentia.* Et ſanè morum quoq; eius illud non poſtremum fuit, cùm virtute ingenioq́ue præſtantes, tùm milites præcipuè effusâ ſibi munificentia demereri, ſubmittere ſuos, & ad humanitatẽ inuitare, tecto menſâq́; accipere, præſenti alacritate hunc viatico, illum pecuniâ iuuare; veſtem, equum, arma donare; neminem non aliquâ ope aſpergere, ſi huius abundè non ſuppeteret, pro munere virtutem & laborem præconijs attollere, notata locis & temporibus cuiuſq́; facta referre. Quibus artibus armatum furorem cùm Reipublicæ ne fureret temperabat, tùm ſibi ita obnoxium reddebat, vt pedem rapinaſq́ue ab eius bonis & ſubditis auerteret, nec villas agroſq́ue inuaderet.

Prodigia. Eo quoq; anno damna & prodigia homines afflixere terruereq́ue. Strage villarum pecorumq́;, ſuper ripas inflati effuſiq́; fluuij, plana, edita, & ſecura quoque eiuſmodi caſuum, ſæpiùs ſæuiùſq́; repetito malo inundârunt. Cœlum obſcuris noctibus, plurimâ luce refulſit, videriq́; viſa ſublime per aërem aquila, ſparſi ignes faceſq́ue, coruſcantes concurrenteſq́; per intempeſtam noctem columnæ, aliaq́ue conflagrantis cœli ſimulacra, & oculorum ludibria, aut imaginum variæ ſpecies. Tactæ quoq; cæleſti tincturâ, ſangui-

neoq;

neoq; rubore arbores notabantur, & sub vnius prodigij cõspectum, vt fit, plura alia credita nuntiataque. Sub idem tempus Vladislaus Princeps ad oppidum Mohilovv, flumine tãtùm à Valachia diuisũ, cõsedit.

Osmanus impedit Cosacorũ iter ad castra. At Osmanus, quanquam defessus victoriâ tam paruæ manus Cosacorũ, tamen quia par ferocia erat, aut vtilis videbatur, vim omnem in castra nostrorũ, vbi nodus & mora belli erat, vertere statuit. Inde sperata pax, præsensq; eâ super re ad suum Vezeriũ nuntius, hinc nondum nostris coniuncti Cosaci, patere consilijs occasionem ostendebant. Eò itaque properantiùs vniuerso cum exercitu Cosacos anteuenit, vt si quid ad conciliandos animos perfidiamq; missi antea corruptores apud eos effecissent, occasione vteretur; aut intercepto Cosacis ad castra Hotkeuicij transitu, sola validiùs aggrederetur, nec vi, nec arte sibi defuturus. Interim quò per simulationem quietis destinata segregaret, remittere Szembergium iubet, spem pacis Hotkeuicio ostentans, si arma poneret, & in contrarium interiectis minis. additur simul *Frustra.* Veuellius literarum comes & actor. Verum Cosaci spretis Cæsaris promissis armisque, compositi munitiq; inferunt porrò se in medium ipsius agmen. Turcæ infensi circumfundi, formidinem facere, à fronte, à dextrâ, à sinistrâ, omni ex parte instare. Cosaci contra, modò aduersùs obsistẽtes in gradu stare, modò impetu inuadentium, aut vi suâ irruendo pellere, disijcere, per semineces, per integros pergere, tutari agmen, donec multa cæde Turcarum in liberum cãpum, & ad castra nostrorum emersere. Idẽ dies ipsos *Szembergium remittit.* & Szembergium ad Hotkeuicium tulit. Collocati à dextra castrorum parte, qua Nester præterfluebat.

Aper-

Ad secũdò allatas literas à Veuellio, respõsum Hotkeuicij. Apertæ Vezerij literæ, atq; artes quo tenderent intellectæ. Et quia Turcicæ erant, quibus animum facilitas nostra fecerat, deditâ operâ ad eas ab Hotkeuicio rescriptum, modicâ & vulgari pacis mentione, nonnullo etiam contemptu, quòd sensum literarum, qui sibi exponeret, nullus adesset, si quid communis boni gratiâ tractatum cuperet, Europeo idiomate perscriberet. Hotkeuicius certè, prout erat acriter offensus, remittendum Veuellium absq; responso, sentiebat: ciuiliùs alijs visum, vt in illa verba rescriberet. In hoc quoq; auctorem habeo, Hotkeuicium allatis literis, quùm Veuellium simul contuitus esset, reparantem, prout coniectauerat, ludificationem, succensum irà & indignitate, acceptas literas neq; resolutas, in gremium condidisse, tum quæ memorata iam sunt breuiter, qui stilus est iræ, rescripsisse. Veuellium certè irritum, & malè habitum, statim ex castris dimisit.

Osmanus castra sua constituit 2. Sept. Quarto Nonas Septembres, Osmanus tandem se copiasq; in conspectum dedit. Incessu hominum iumentorumque, vis primùm magna pulueris propinquare procul adspiciebatur. dein' magis & magis exagitatâ aridâ humo, prout in dimensa iam spatia ministeriaq; se diuidebant colligebantq; agmina, & ipsa in vnam nubem coacta, latè suffudit cœlum, densâq; *Copia iumentorũ.* caligine montes & plana intexuit. Reperio apud magnum auctorem, præter equorum ad pugnam adductorum vim, camelorum, qui cibaria, tentoria, globos, funes tormentarios, cæterumq; apparatum, & vtensilia bello ferebant, non minùs decies mille fuisse. Duplicem tantum bubalorum numerum, ad subuehenda carra currusque, & vt copia lassitudini, varijsq; simul casibus, & fami subueniret. Submittebant

N 2 terga

Tormentorum.

terga magnificentiæ barbaræ inuſitati Europæ quatuor elephanti, cultum & opulentiam Cæſaris excipientes portanteſque. Tormenta variæ magnitudinis, centum & quindecem numerabantur. Horum maiora, (quod notatum, quibus talia curæ) quinquaginta quinque librarum pondo globos impellebant. Quater mille paſſibus à Polonorum caſtris, ſpatium, quantum in tria eminentia iuga exurgebat expandebaturque; tantum ſupra citraq; fuſis in immenſum agminibus, inſedere occupauereque. Quanquam fama priùs, quæ nihil ferè non cum incremento accipit ſpargitq;, percepta ea exercitûs Oſmani moles erat: tamen viſa propiùs multitudo, quam terminare vix oculi poterant, ſimul velut à deſcendentibus in terras nubibus, trium montium plana deuexaque à ſummo ad imum operta inumbrataque; ſua adhæc cum tanto numero penſata paucitas, prout magnus ad periculũ eſt, extra periculum tantùm animus, ingentem in animis oculiſq; curam & ſolicitudinem commouêre renouauêreque. Paulùm deinde, poſtquàm erectum prætorium, & dilapsâ caligine, ad acceptum ſignum, incredibili celeritate, ſua omnes tentoria vndiq; tetendiſſent: haud ſecus ab atro nubium globo effuſis niuibus, perinde innumeris tabernaculis, tota caſtrorum facies, in hybernã canitiem exalbuit ceſſitque.

Tres mõtes inſedit.

Tartari ſeorſim.

Seorſim Tartari caſtra ſua bellumq;, pars cũ Dziambet-Gereo propiùs ſtagnum & caſtra noſtra locauêre; pars ad agros villaſq; pro more ſuo tulêre, reperto vado cum Naradij Soltano tranſgreſſi Neſtrum, agminibus ad populandam noſtram terram in omnes partes dimiſſis: eò atrociùs, quòd arcendo malo nil promptum & prouiſum erat, Tartaris nil remittentibus, &

bus, & domi poſito metu, velut ad omnia iam cum Imperatoribus ſuffectum militis confidentiâ.

Hotkeuicius ſpeciem caſtrorum amplificare cupit.

Sed nihil admodũ id terruit Imperatores. & Hotkeuicius vetus non minùs periculorum, quàm eorundem mirus diſſimulator: vtpotè, qui nihil magis timebat, quàm ne timere videretur, adeò eum numerum ſpeciemq; contempſit, vt ad inſtruendum hoſti terrorem, eductis ſeruitijs lixiſque, & cæterâ caſtrorum turbâ, extendere & ipſe, atque amplificare falſo apparatu ſpecieq; copias voluerit. Poſtquam abnuêre id milites, ſiue calonum lixarumque ſibi coæquandorum confundendorumq; metu, ſeu æmulandi pudore: & num ſine animis, ſine armis, ſine manibus, ad ſtruendos potiùs vanos metus, quàm ad pugnam cõſerendam Imperator militem haberet? vox vna audiretur, pronus & ipſe ad decertandum, tantò magis dum impetus vigeret, expedire hæc ipſa quibus gloriabantur ad certamen, & in apertum extraq; vallũ ſigna efferre iubet. Mox eò equo aduectus, ad circumfuſos, in hunc modum orſus eſt.

Vbi negatum,

Exercitũ pro vallo inſtruit.

Oratio Hotkeuicij ad milites.

Quando beneficium Reipublicæ, & fortuna mea ita tulit, Milites, vt ætati, cui mors propior erat, nouum adhuc bellum & imperium imponeretur: id accepi fiduciâ virtutis veſtræ, & vt patriæ ſubuenirem. Nam quò hæc cuiq; pluris eſſe, quàm omnes dignitates & honores, quæq; auidè per mortales expetuntur, debet: qui me abundè auctum, nec alicuius ampliùs rei egentem ſentio, ita me nũc ei obtuli, tanquam ſanguinem & vitam popoſciſſet. Equidem mortem pro illâ præclaram eſſe fateor; & ſi moriendum eſt, mori non poſſum indecorè, vt non infeliciter; in virtute veſtra eſt, ſine quà egregia quamuis nec parari, nec haberi à nobis poſſunt. Quanquã nimis ſtatim grande famæ meæ pretiũ poſco. alibi hanc, hîc fratres, propinquos, exercitus, Imperatores veſtros mihi antepono. Neq; enim nõ propè ad ipſa ſepulchra eorum conſtitimus, vbi fuſus ſæpiùs

ciuium

ciuium sanguis, tecti aceruis cadauerum campi, iacet post amissum exercitum Zolkeuius. Qui omnes non lamenta à vobis, non vt sæuitiam fortunæ, quâ oppreßi procubuerunt, lugeatis, sed idem mecū, ne inultos patiamini, orant expectantq́. Nempe quoties hostium sanguine cruentabitis manus vestras, quoties in pugnâ, in acie ferietis aut sistetis hostem; toties, quod honoratis funeribus impendi solet, iusta tantis Manibus persoluetis, toties litabitis ijs, quos amisistis. Non apud detrectantes id loquor milites, sed si nondum satis est iusti ad vindictam doloris, quantum interest, vt etiam nunc videamus ex procumbentibus in igne oppidis villisq́, fumum patriæ flammamq́, fugam virginum & puerorum, miseros & insepultos aceruos ciuium; vt audiamus in cædibus & direptione bachantium Tartarorum clamorem & vlulatum, tum lamentationem matrum familiâs, inter hostium trahētium impellentiumq́ manus, labentium captiuorum gemitum, planctum, execrationem vitæ. cùm verò propono mihi ante oculos, actos ante suum quenq́ prædonem captiuos, sicubi in illis maius lucrum est, rixantes Scythas, aut pretium per capita exigentes constituentesq́, aut funera illorum vendentes, & quicquid locus hic, in quem prædas effundunt, in quem reuertuntur melius sciat; adhæc post discessum, pendentes metu ciues, computantes quot dies ad reuertendum Scythis supersint, horror cum dolore animum subit. Feræ bestiæ, si ad catulos & cubilia earum ire pergas, immiti truculentiâ prorumpunt, & in quantumlibet conferta agmina, concitatæ furore & auiditate vindictæ, semet iaculantur ruuntq́: hæc quotidie nos ferimus, quotidie expectamus, videlicet de animâ tantùm nostrâ, & reliquo imperio securi, confidentiâ Deorum immortalium, qui soli hostes à nobis toties arcuêre auertêreq́. Nunc propiora omnia sunt, nec agitur cuiuscunq́ modi illa alicui videantur, sed nostranè vlterius, an nobiscum vnà hostium futura sunt? an continens imperium ad Vistulam hosti permittendum est? an caput nobis barbarus hostis excidat? an Turcicè loquendum? Ad id sedibus suis motæ tot gentes venêre, secuti sunt Turcarum Ianissariorumq́ exercitus, nescias Imperatorem, an morem suum regna occupandi euertendiq́, stat ipse super

caput

caput nostrum Osmanus. Aut proferenda ista in æternum, aut finienda hoc in campo sunt. In hostili nos quoq́ sumus, ante ora ipsa. quibus nullus retro aut vspiā exercitus castraq́, à tergo Nester profundis voraginibus & impetu violentus, ac interiores Tartari. nisi vincimus, neq́ locus, neq́ amicus quisquam teget, si non manus, non arma nostra nos texerint. Paucis nuper cohortibus sequenti quibus Zolkeuium, per immensa hostiū agmina tutum iter fuit, neq́ ijs Skinder-Bassa, neq́ Galga, omnem vim experti obstitere, quin dies noctesq́ peruigilando in armis, famem, ferrum, & extrema passæ, per confertos in patriam pergerent, si ad extremum discordia non interuenisset, neceßitatibus prorsus & armis inuictæ. Hi ipsi nunc coram sunt Milites, quos illa paruula manus sustinuit, acerrimis armis odiisq́ in eos tantùm, quibus metus est maximus, inania agmina, sonoræ minæ, audendo, fallendo magis, quàm bellis magni facti, cum his adolescentulus Imperator, quod fortuna illi in Zolkeuio adspirauerit, alimentum temeritatis. Et quid reliquum superest, nisi vt compari hostium iam strage compleatis hos campos, quâ illi specie montes compleuerunt. Non enim multitudo, non numerus conficit victoriam, sed virtus paucorum. Parate modò animos, me intuemini Ducem vestrum, cùm satis vobis fortibus factis cognitum, tùm multorum vestrûm virtutis cognoscentem. Non exemplum in me, non idem si opus moriendi deerit. Hic vtrumque habebitis, allaturi mecum, aut viuis libertatem, aut mortuis vltionem.

Instruūt exercitū. Lubomirscius suam partem.

Post quæ præsentiam Numinis veneratus, signa canere iubet, aciemq; in hunc modum instruit. Lubomirscio dextrum cornu permittit. Hic, obiectis aduersùs syluas leuibus cohortibus, ne quâ inde erūperent hostes turbarentq; aciem, in frontem proprias cohortes & fortissimum quenq; subducit. Deinde cōmunit latera iustâ hastatorum manu, cui præerant Rozrazeuius, Złotniccius, Ianouius, Ratovvscius. Quibus aliud adhuc addit subsidium, Zorauinscium, Potoccium, Lesniouium, Ferensbachium; illos cum hastato-

hastatorum, hunc cum peditum duarum selectarum turmis. præterea Stanislauium, Herbortum, & Raphaëlis Lescinij, signa copiasque. Læuo latere pariter Hotkeuicius, primam aciem campumq; suis tradidit cohortibus. Subsidium erant plenis instructi ordinibus, Opalinscius & Zienioùicius. præterea Alexander Sapieha. Paulùm ab acie, validam legionem cōstantem cùm proprijs, tùm Thomæ Zamoscij signis, Sieniauij curabant. ante cum Lermunto Præfecto & Dinophijs, Germanicæ erant cum tormentis cohortes. terga Kosakouius tuebatur. Adhæc vbi opportunum, & inæqualis aut in valles cauata capere tegereq; armatos poterat tellus, iaculatores conditi dispositique. Reliquum, quantum productum ad Nestrum spatium fuit, tenuit Cosacorum Zaporouiensiū exercitus, carris humo onustis fossâq;, prouidè statim vtcunq; contra munitus claususque. Hos adoriri priùs Turcis visum, opinantibus nondum clausa commissaq; cum alijs munimenta, quòq; fessis acriùs incumberent; & cùm spes toties elusa, tum irâ pudoreque obstrictus animus vrgebat illic ad successum niti. Distrahendo Lubomirscio, Dziambet Gereus & Kantimirùs cum Tartarorum exercitu oppositi. Eodem igitur tormentis intendi iussis, cum pleroq; exercitu & fortissimis Turcæ Cosacos aggrediūtur. Nisi quod frustra petiti machinis, acris erat oppugnatio; suffuso fumo cœlo, & collucente à tormentis toto flammis campo. Turcæ velut nimbo deiecti, in aduersum descendere, incurrere, proruere humum: contra Cosaci se & munimēta strenuè tutari, globis glandibusq; vulnera spargere, occidere, sauciare, prorsùs vtrinq; nihil reliquum fieri, gliscente per hæc irâ, Cosacis postea

Hotkeuicius suam quoque.

Turcæ Cosacos adoriuntur.

Tartari Lubomirscium.

stea cùm incassum peterentur fiduciâ. Addidit hanc castrense vulgus, ex Hotkeuicij munimentis ad spectandum effusum. Rati enim in subsidium illud sibi venisse, properè ex munitionibus in apertum effusi, in Turcas ruunt. Tum vbi clamore concursuq; inuicem consonuêre arma, qui spectatum venerant fugiunt. Cosaci pellunt, deinde pelluntur. Et cœperat cædes, Turcis suos colligētibus & renouantibus impetum, ni Hotkeuicius suppetias in tempore tulisset. Qui celeriter pugnantium discrimen, campi hostiūq; positus oculis contemplatus, sclopis longioribus armatas Dinophiorum & Lermuntij cohortes, per hiatus terræ fossasq;, in hostium latera, alias aliò, diuersè & occultè immittit. Postea conscenso expeditiori ad pugnam equo, arreptâq; ab armigero galeâ ferroq;, oculis & ore iram spirans, legionem vnam prout erat instructa, propiùs in hostem admouet. Mox impetu capto immixtus lancearijs, hastas in aduersos impellit. Initur atrox prælium, non succurrentium more, sed quasi pro summâ rerum decernentium, summis animis & ardore. modò recedere hostes, modò relato pede restaurare pugnam. Hotkeuicius manu, voce, sustentare suos; laborātibus recentes & integros submittere, vbi confertissimi hostes inuadere manu. donec ex fossis arbustisq; non infeliciter sclopetarijs collineantibus, inopinâ glandium procellâ scissum hostium perruptumq; agmen, ad extremum magno conatu impulit disiecitque, & nouissimus sub noctem campo discessit. Cæsi eo die Cosacorum triginta: nostrorum viginti; pauci hostium manu, plures tormentorum ictibus, quorum vi septem equi ex Hotkeuicianâ cohorte afflicti, cladem hominum auxêre.

Cosacis auxiliũ Hotkeuicius fert.

Pugnat.

Vincit.

Quanta clade suorum.

xere. Extinxit inter cæteros id certamen Zavviſſam, Rakouium; illum, ex Kiſciana cohorte, primâ ætatis face ardentem; exceptâ pilâ, violento ictu, poſtea & morte: hunc Præfectum cohortis, quæ ſtipendio Ioannis Staniſlai Sapiehæ, Magni Ducatus Lithuaniæ Marſchalci, in caſtris vt Kiſciana merebat; nunquam ſanctiùs pecunias deponere ſe poſſe credentibus Regni primoribus, quàm in ſalute & periculo patriæ. Et prout quamuis egregij eadem ſorte ſternuntur: ſublatus tūc quoq; Ruſinouius, Iedrzeiouius, Kluſcius, Klebecus, Livvic, Ryskouius, nō incelebres Præfecti & Cēturiones. Turcarū clades ingēs, ſed nec parua iactura, quia in primis fuit. Cecidit Vſſaim-Baſſa, Præfect⁹ Siliſtriç, ex tubo militari glāde coſtas traiectus, nomē inter Turcas pluribus bellis felix clarūq;, cui tūc ſummā certaminis in manū datā ferunt. Captus Aſiæ minoris Præſidis cognatus, cōfectus vulneribus, cruore effuſim perpluente in caſtra adductus, ibi reliquum ſanguinem & vitam eiecit. Præda quoq; haud parua parta. Viſebantur inter militum manus arma Turcica, tiaræ, lanceæ, conti, & cætera militaris ſuppellex; pro amiſſis cōcitatiſſimi & nobiles equi ad caſtra duci agique. In dextro caſtrorum cornu, ſimulatum magis quàm initum certamen, cùm hoſtes truci tantum ſonore, obiecta vallium, & reſultantes campos ſyluaſq; complentes bellum indicerent: ſiue deſperato ſucceſſu, & certo ſui à Lubomirſcio damno; ſiue ſimultate & diſcordiâ regentium, diſtractis in ſegnitiem militum quoque ſtudijs. Cauſam dedit reputatio Kantimiri apud Turcas, & intra id tempus, velut triumphalia, ob vaſtationes & populationes Poloniæ, Præfectura Belgradi, Tehiniæ, Kiliæ, ab Oſmano ipſi collata: quia homini non è principe domo familiâq;,

Hoſtium.

Diſcordia Tartarorum.

& rara

& rara cum veteri nouæ potētiæ concordia, Dziambet Gereum velut poſtpoſitum offendebant.

Hoc primo experimēto hoſtium, & ſucceſſu, erectus maiorq; Hotkeuicius, vocat concilium, & vlteriora voluens animo, de toto genere belli ſententias poſcit. Variè eæ à varijs dirigebantur, vt in talibus, vbi hòc magis ſunt diuerſi, quantò plures. Quibus non erat id ante conſilium, vt promouerentur in Valachiam caſtra: tunc quoque, ne abripi quidem ad pugnam vllo ſucceſſu, aut laceſſendum irritādumq; hoſtem cenſebāt; in medijs belli ignibus, quietis & modeſtiæ nimiùm retinētes, & peſſimū deinceps omne credentes, quicquid geſtum eſſet. Contra, quibus in Hotkeuicio ingens erat fiducia, & ſpes victoriæ: cum ſummâ rerum, eius quoque rei arbitrium, vt ſapienti & veteri multorumq; bellorum Duci permittēdum putabant. pro decernendo prælio nonnulli addētes: *quòd veniſſe in Valachiam nihil attinuerit, ſi oſtentato, atq; tantū in conſpectu hoſtis habito exercitu, intra vallum foſſasq; hærendum eſſet. Aliud inde pretium nec moræ cerni, niſi venturam famem, & vbi hæc diu toleraretur diſſimulareturq;, fœdas mortes. Vt in oculis hoſtium rarò recedere, ſeq; ex acie in caſtra recipere exercitū ſine aliquo diſcrimine ſolere; ita nec manere hærereq; in loco diutiùs ſine periculo. Ad hæc detrectantes certamen, pro minoribus apud hoſtem haberi. qui vbi procul patere conſultationibus & deliberationibus locum: vbi gladium eduxit, atq; in oculis, & domi vaſtando vrendoq; graſſatur, propter vnius alteriuſuè imbecillum animū, malè differri dimittiq; victoriam, finem omnium quæ gererentur & votum, eamq; gloriam, quòd modicâ manu ingentis exercitus fama adipiſceretur.* Altiùs alij exitum magis rerum introſpicientes, temperando ſententias, non detrectādam quidem omninò pugnam exiſtimabant, quòd famæ intereſſet, hoſtem aliquâ aggreſſione, ſubinde

Hotkeuicius an offerendū prælium Turcis deliberat.

Suadent id alij.

Alij moram & cunctationem.

virtutis

virtutis animiq; exercitûs admonere, in cunctatione tamen & perseuerantiâ plus spei quàm in victoriâ adesse, nullumq; ad vincendum potentius telum videri, quàm ex necessitate hostis non pugnare, ostēdebant. *Nunquam enim minùs, quam in bello fortunam respondere: & quamuis initiò certa victoria prospiceretur, non propterea statim in futurum securos de constantia eius, aut magis tunc finiri bellū, quàm protrahi, minùsq; molis in victoriâ tuendâ, quàm in quærenda esse. Vim omnem, totumq; robur, iam in castris haberi: contra Turcis, tātùm terrarum, tot prouincias, tot regna cum nouis exercitibus, ad iuuandum restaurandumq; bellum superesse. Equidem non vnius alteriusuè prælij famam aspernandam: verùm non spectandum modò, quod coram ostenderetur breue fluxumq;, sed vbi tutior exitus, ad quem porrò fructus sit peruenturus, & pugna victores, bello postea ne succumbant. siquidem fortuna nunquam sincerior visa quàm in fine, euentusq; præliorum, inter initia sæpiùs contra eos fuêre, quibus victoria debebatur. Sanè paucos dies moræ ac expectationi impendi; & affuturam mox hyemem, aduersùs hostem suo tantùm cœlo & æstibus suetum: affuturum Regem, quod expediret probaturum, aut si prælium placuisset, auctis viribus & copiis tutiùs ipsum certaturū. Vertendā quoq; mentē ad eius filium, traducem Iagellonum, veram Regum sobolem, rebus Polonis & saluti publicæ innexum, nec securitate sui fatum ipsi prouocandum. Nondum vires eius, nondum militem, aut ipsum adstrictum alterâ parte vi immodicâ aquarum fluminisq; adesse. Sic quoq; Numen orandum, vt incolumem ac saluum, & eos qui imperium auspiciumque eius sequuntur, immunes ab hostibus, quàm primùm ad castra sistat.*

Vladislaus Princeps in castra venit 3. Septembr. Et Vladislaus alterâ die traiecto Nestro, in castra venit cum paucis cohortibus, concepto ex diurnis nocturnisq; laboribus morbo, & corporis languore, qui ingrauescendo ampliùs in castris, vix ipsum cum fine belli dimisit, sibiq; reddidit. Miles, hâc parte penes Ioānem Waierum Palatinum Culmensem mansit. Nam imbres & fluminum auctus, pontes resoluerant abstulerantq;, & quoties nouos cæptabant, quod effectum operis, à Bernauio Valacho, omni pondere per secundam aquam labente, demissa per alueum robora, molesq; arborum, & vis citata fluminis deijciebat. inoffenso ad hæc Turcarum ponte, cuius firmitudinem sublicæ validæ, ferrum, comportatæque ad hæc insuper catenæ, continebant. Sexto deinde post die, fabricatis nauigijs, quæ hyppaga vocantur, alijsq; similibus, dummodo innare aquæ, & capere onera potuerunt, in castra transuectæ Vladislai omnes copiæ fuerunt, relictis aliquot cohortibus ad seruandam ripam.

Hotkeuicio mora ingrata. Dictis de bello sententijs, tandem in vnam omnes conspirauêre, vltimaq; præpotuit, tuta magis quàm magnifica. Vni aliquantū ingratè cecidisse visa Hotkeuicio. qui quanquam non inficiaretur pro ea adduci rationes causasque probabiles; quia tamen gerere quàm ducere bellum mallebat, victoriamque potiùs quàm pacem domum referre, contra opponebat; quòd annonæ necessitatibusq; castrorum, in moram & cunctationem prouisum non esset, verereturq;, ne translatis propter castris, iactâq; fossâ contraherent hostes campum planitiemq;, & cùm copiâ inuadēdi se & extrahendi in aciem, militem quoq; suo ardore & fortitudine priuarent. Præcisum id recitatis Regis literis, sicut non omittendam occasionem, si quando certa se daret suadentibus; ita ad cunctationem magis inclinantibus, seq; cum nouis copijs expectandum. Promptum quoq; tunc dicitur diploma, quo, multo cum honore Imperatoris, modus tamen præscribebatur id aggrediendi, in quod Commissarii, ad id bellum à

lum à Senatu dati consensissent, iuissentq; simul cum eo in suffragium. Quod quanquam ciuiliter accepit tulitq; Hotkeuicius, rem tamen eam ex ingenio, animoq; viri incitato & præliari, non perinde in opinione suâ homines habuere. Intendit eam magis secuta vis morbi, quo ingrauescente in dies, ex mærore cõtabuisse, gloriæ famæq; & exactorum temporum nimiùm memor Imperator credebatur. quantò acrius tormentum est, apud insolentem moderatorum, facere imperata, qui cõsueuit imperare facienda. Omissiori exinde certè velut in dolore animo, bellum ab eo tractatum: & quia vi morbi exanimabatur interdum, & instare propediem fatum suum certis increscentis sæuius morbi indicijs persentiebat: curarum molem, quam pari virium præsentiâ se vltrà sustinere diffidebat, salutari anticipatione in æui animiq; validum Lubomirscium sæpiùs inclinabat. Et siue id quod credebatur, siue senectus ipsa, supremam tunc vitæ illius manum imposuit: sanè quicunq; reuocauerit in mentem, tot bella ab eo gesta confectaq;, à quibus nunquam victus, victor semper discessit; altitudinem animi, quâ nullum genus hostium, vel numero maximum, vel famâ formidabile vnquam expauit, cum studijs iudicia hominũ, quibus amplificatis prælargè titulis dici subinde Hercules Lithuanorum inuictus, Suecorum tonitru & tempestas, hostium terror fugaq; meruit: non tardum dictu crediderim, quin tunc quoq; reputatio illa viri, ad ingentem expectationem, si non præpediretur, vtereturq; ingenio suo, mentes hominum & opinionem traxisset.

Ægritudo animi.

Aut opinio hominum.

Igitur postquam ex decretâ trahendi bellum sententiâ, ad tutandum vallum & stationes deductus dispositusq; miles, Osmanus parte copiarum ad distrahendos Cosacos, vt à tergo ex aduersa ipsis Nestri ripâ terrorem facerent, circummissâ, ipse instructum exercitum, ad tentandam belli aleam mouet, atq; cõstrepentibus tympanis tubisq; certamẽ indicit. Quãtò credita in altera parte pugna impetum in Cosacos intenderat; tantò maior, modò in propiùs succedentes, modò ad tentãdum vadum se audaciùs in flumen immittentes, è Vladislai castris eandem ripâ insidentibus, edita est strages. Alibi cùm nullis inuitamentis irritamentisque, à commissis sibi locis stationibusq; mouerentur copiæ, non vltrà quàm velitari subinde tentato prælio, ab Osmano in castra reditum est.

At Osmanus prælium offert 4. Sept.

Cùm negatum.

Vbi illuxit: aggressionem imperat, velut in metuentes, ad expugnanda castra ab omni parte: tantâ vi, fulminantibus vndiq; machinis tormentisq;, vt sub primam lucem, cœptus acris & continuus ad mediã diem, nunquam interquieuerit fragor. Primus impetus in Lubomirscium factus, vbi loco vallo & munimentis satis munito, pedes ad ingressum portæ, velut nouis additis statiuis, leuiq; munimento carraginum septus, tormentis magis è vallo protegebatur. Quantò maior spes velut ab expositis, & aditus ad vlteriora ostendebatur, hòc acrior oppugnatio fuit, non eminus à tormentis modò, quæ ab hoste in irritum, certiore pernicie in illum à Lubomirscio librabantur: sed in magna & abundanti multitudine, propiùs vallum fossasq; ductoribus copias admouentibus agentibusque, alibi alias submittentibus, ne desisterent cederentuè, decore, spe, gentili religione, obstringẽtibus. Sed ea cuncta aduersùs tectos vana, & conspicuos aut propius accedentes, ad ictus nostri destinabant. Lubomir-

Castra oppugnat 5. Sept.

Primò Lubomirscij stationem.

bomirſcius quoq; ſingula circumire, ſtationibus fir-mare, machinis & tormentis inſtruere, vbiq; mone-re, hortari, ſe ſuaq; munia ſeruarent immoti, glandes globoſque non in falſum deſtinantes. Ita magnâ ibi clade repulſi hoſtes, vno tãtùm ex Grzymałtouij co-horte interfecto, impetu haud diſpari, fanum muro exſtructum, neglectũ adhuc, nec probè à noſtris mu-nitum, premebant. Nec defuiſſet ab Ianiſſarijs ſucceſ-ſus, qui valle foſſiſq; adrepentes propè iam illud tene-bant, ni animaduerſo periculo peditem Vladiſlai Ko-chanouius eòdem magnâ vi rapuiſſet, & ſecutæ ſimul Germanorum cohortes hoſtem exegiſſent. Ita ibi quoq; impar hoſtis, ſublato tormẽtariâ glande Opo-rouio, ad Coſacos ſe recepit, inſeſſo à Kochanouio loco, cui timebatur. Sed & alibi, quid virtus, quid ne-ceſſitas poſſet, apparuit. Non enim vallũ modò mu-nitioneſq; ſtrenuè Coſaci tutabantur; ſed multis ante caſtra in locis cauatis ſcrobibus, in eas ſe demittẽtes, modò ex hiatibus ſibi factis inconſpicui, ſcintillanti-bus tantùm per terram ſclopis, eminus hoſtem impe-tebant, modò ex ipſis in apertum exilientes cominus conſerebant pugnam. Poſtea animo, quem ſuperata tormentorum pernicies faciebat, ab ſtationibus pro-currentes, magno tumultu erumpunt. dant in fugam ſtatim hoſtes. ſed quia amplius in condenſos ſe conci-tauerant, periculum erat, ne à lateribus interclude-rentur. Quod diſcrimen vt viſum, velitum & Ger-manicæ Vladiſlai cohortes properè capeſſunt auxili-um pugnamq;, vbi aperuiſſent receptui Coſacorum viam, interdicto ne vltrà pergerent. Eo auxilio Co-ſacis ad inſequendum hoſtem maior exarſit ardor. & vagus, an aſtu vlteriùs incitantium ſubditus, differtur rumor,

Deinde media caſtrorũ.

Tum Coſacos.

Coſaci ſtrenuè reſiſtunt.

Deinde erumpũt,

Effuſiùs, & audaciùs.

rumor, Turcarum tormenta à Coſacis capta, loco ob magnitudinem moueri non poſſe. Traxit hæc vox fideſq; per ſe concitatos vlteriùs: tantoq; ardore cam-pũ, nullo ampliùs eius defenſore ſuperârunt, vt quàm conſpexiſſent, non priùs ſe procurriſſe ſub ipſa hoſti-um caſtra compererint. Ibi conſtituto curſu, plenis ſe rurſum in eos effundunt hoſtes portis. Accurrit in ſubſidium cedentibus Morenda, cum trecentis pedi-tibus, ſed & ipſe retro actus, amiſſis duobus ſignis ad caſtra cum Coſacis compellitur. Ita maiori gloriâ quàm gaudio ad ſtationes reditum, acceptâ, vt eue-nire ſolet, tum à receptu, tũ à temerario impetu ali-quâ clade; maiori haud dubiè ſecuturâ, ni ab hoſte in-ſequendo & ambiguo rumore, Præfecti alias copias continuiſſent, verſamq; iam in nos fortunam nox in-hibuiſſet. Nihil triſtius acceptum, Coſaciq; niſi excu-curriſſent exiguum damnum Baſilium, pilâ traiectũ extinctumq; habuiſſent. quãquam cætera immunes, mulctati non pauci quoque militum auditu à boatu tormentorum. At altero die, belli cladem æquauit in caſtris facinus atrox & miſerandum. eius occaſio & initium tale extitit. Fuerunt Valachi in caſtris circi-ter ducenti, quæſtum ex alimoniæ venditione exer-centes. Ad eos ventitabant infimæ plebis homines, aleatores, lixæ, ſeruitia, pretium luxus, iam pecuni-am, iam pignora deponentes. Poſtea cùm hæc ipſos per luſum & libidines defeciſſent, verſâ in crudelita-tem pœnitentiâ, tempus condicunt, quo Valachos ferro inuadant, ſuaq; per internecionẽ eripiant. Igi-tur ſigno dato tabernas effringunt, protrahunt abdi-tos, alios trucidant, alios ex alto in flumen proijciũt. Nec modò hæc conſcij, ſed prout licentia creſcit faci-liùs

Non ſine damno.

In caſtris tumultu facto, Valachi trucidãtur.

liùs quàm incipit, orto à paucis initio, quicunq; proximi, alij tædio cætûs, alij tristitiâ ingenij, quidam falso rumore incitati, quòd pleriq; in fraude cum Turcis deprehensos, & Ducum imperio id fieri clamitarent. Sæua & deformis facies. hîc cruor & rapinæ: alibi cum paruis liberis fluitantes matres, aut si ad littus appulerât, rursus in gurgites propellebantur; quãtùmq; sæuitia gliscebat, miseratio arcebatur. Fuerũtque ex eo mæsta castra, & acto vno tantùm in patibulum, quamuis flagitium per tot mortales manauisset. in quod ne exactiùs animaduerteretur, valetudo intercessit Hotkeuicij, & à ministris custoditum in conuenientibus eum silentium, ne cognito facto affectu & irâ, lecto affixus in morbum exacerbaretur. Aut parata quoq; erat animaduersio, nisi in tot incidisset: sicut multitudini faciliùs condonatur, & cùm omnes delinquunt, nemo plectitur; ne cùm par est delicto, alterum videatur flagitium, non pœna.

Pœna.

Turcæ in excubitores Hotkeuicij dant impetum 7. Sept.

Sanè nec corpus, nec vires fatiscentes, Hotkeuicium cohibuêre, quin postridie ad demendum hosti gaudium ingens animi, velut derepentè sibi restitutus, in aciem prorumperet. Vigiles, more recepto longiùs ante vallum curare soliti, eo loci, vbi eius statio parsq; castrorum, quam curabat erat, fossam ante se, quòd illos periculi in aperto tæderet, duxerunt. Eâ confisi, defixis pro terrore vexillis, negligentiùs ipsi agere, somno per humum procũbere, solita munia & custodias remittere. Animaduersum id Turcis, captatoque, quo negligentiam intenderant, sub meridiem tempore, solutos metu, repentè adorti, trucidatis duobus Præfectis, stragem terroremq; circumferentes, alios inuadunt: ac priusquàm ad arma conclamatum

Cædunt.

matum esset, abductis duobus plostris scloporum, totidemq; vexillis, impunè abscedunt: tandem confertis & instructis agminibus, fortunâ suâ alijs exstimulatis, eodem gradum referunt. Quod vbi nuntiatum visumq; est Hotkeuicio, vindictam cladis & dedecoris, differre vltrà impotens, proripiens se è lecto, poscit arma equumq;, atq; paucis verbis ad suos vsus, cũ cohorte propriâ, quam ex fortissimis magis quàm familiarissimis, veteranorum & multarum palmarũ militum habebat, locum medium inter Zienioiciũ Castellanum Połocensem, & Nicolaum Sieniauium capit: in subsidium Georgium Rodominam collocat. Et vix modico iam teli iactu Turcarum agmina conspicatus, frenis & calcaribus admisso magnâ vi equo, in aduersum fertur. Idem protinus fecere alij, intenti ad signum & Duci metuentes. Rarò aliàs meliùs compertum animo constare bella, audendoq; victoriam & cætera in ijs parari, nullumq; potentius telum ad vincendũ esse, ipsâ necessitate vincendi. Quatuor omninò hastatorum cohortes erant, tantâ vi in aduersum concitatæ, vt à multitudine hostium velut vinctæ iam & haustæ viderentur; horrorq; spectantes & miseratio caperet, infeliciter & proiectè morientium. nec spes redibat, quanquam inter confertos & cohærentes hostes, strepitus cõferentium manus, agitatio telorum armorumq;, implicata aut fluitãtia signa, mota & conuulsa agmina, superstites testarentur: donec inchoante iam, & in omnes partes vertẽte se cum strage victoriâ, volui ad sua castra hostium signa, pandi latè campum, & in eo demum nihil præter cædem & fugam ab Hotkeuicio edi cernerent. Rarò à tam paucis plus sanguinis fusum. Sesquihoræ spatio,

Hotkeuicius animosè vindicat.

Cum quatuor cohortibus hostem inuadit.

Sternit & disijcit

ſpatio, profligata non minùs ſex millia hoſtium. occiſi in obſcuro ſunt, negligentiâ tradentium, quibus magnitudinem victoriæ, non cladis prodere magis curæ fuit. magnam tamen hanc, & ex præcipuis fuiſſe conſtat, quòd & ea tota nox cum facibus, quærendis & colligendis nobiliorum per campum cadaueribus à Turcis traducta fuit; & multitudo vt ſibi ipſa impedimētum ad fugam, ita copiam ex ſe ad cædem, cùm velut vincta in anguſto teneretur, non præbere non potuit. Incruenta tamen noſtris victoria non fuit. Nicolaus Zienouicius Caſtellanus Poloceníis, vir primæ eo in bello notæ, galeâ præproperè non ſatis occluſâ, & in congreſſu deiectâ, perfracto capite ex equo prolapſus, propè non in acie ſtatim, vngulis equorum attritus & funeratus, intercurſu ſuorū protectus relatuſq; ad caſtra, tertiâ die inter curationem exſpirauit. Par fatum Rudominam, iuuentæ & animi vigore in martialium virorum fama nulli ſecūdum, petitum infeſtis vulneribus in acie excepit, non procul exſpirante Vexillario Hotkeuicij, vbi ambo cōmortui ſunt: huius vexillum in poteſtatem hoſtium deuenit. milites diuerſis ex cohortibus occiſi amplius triginta: vulnerati maior duplo numerus. Ferunt lætè ab omnibus victoriam eam acceptam: nonnullos tamen, prout propè periculum, & in incertâ expectatione euentus erat, haud quaquam eā probâſſe, quòd ſucceſſu meliori quàm cōſilio, ſecum in caſum Hotkeuicius Rempublicam, & cum tam paucis cohortibus, reliquum exercitum in exitium pariter trahendum conieciſſet. Sed ſicut nihil rerum mortaliū non occultâ lege regitur, eſtque quiddam ſupra nos, quod minima, maxima, dirigit & peſſum trahit, cuius permiſ-

An Hotkeuicij audacia laudāda.

permiſſu, alia ſecus quàm expectata fuēre cadunt, alia vix poſt ſucceſſum credita, vltra votum etiam ſpéq; prouehuntur: ita illud ipſum præcipuam in terris, qui ſibi proximi ſunt, eorumq; qui regunt curam gerit, ſuppeditatq; præcipuè in aggrediendis rebus, mentē intelligentem, auxilium quoq; ſuum & opem, quibus regimen conceſſit. Si tamen diuinam prouidentiam iuxta humana quid induſtria poteſt, ea victoria virtuti debetur Hotkeuicij: qui à diuturno imperandi vſu & experientiâ, hoſtium animos vireſque, & ſingula eius belli momenta, prout attendere & obſeruare ea cumprimis maximis Imperatoribus ſuetū, ipſe quoq; non fallaci euentus conſecutione præcepit præhabuitque, ac ſimul fiduciâ non de nihilo conceptâ, ſe cum ſuis in hoſtē immiſit; opinor, vt oſtenderet, tantùm ſibi animi eſſe, ad abſoluendam victoriam, quantùm tunc erat exiguâ manu ad inchoandam. Verùm res humanæ ita ſe habent, nemo non in alieno facto abundè prudens calliduſq; eſt, & proſpera ſibi quoq; vendicaturus, quia detrectauit, fortunæ aut Numini, aduerſa cùm contigerunt, Duci imputat.

Patuit quantum profectum altero die, quo omiſſa cunctatione, & cōgrediendi certus Hotkeuicius, inſtructis copijs egreſſus caſtris, obtulit hoſti prælium. Vt nos virtutem auximus, barbari ferociam infregēre. Poſtquam toto die expectando hoſtem, ſigna ab nulla parte efferri contra vidit, propinquo veſpere cum exercitu in caſtra reuertit. Is finis fermè curarū eius fuit, intendente ſe acriùs morbo & languore, à quo ne detrimenti quid Reſpublica pateretur, ſecuritatem caſtrorum & bellum Lubomirſcio permiſit commendauitque.

Hotkeuicius instructa acie prælium offert 8. Sept.

Detrectant Turcæ.

Inopia in castris.

Quietiùs & tranquilliùs interea à Turcis bellatū. Cosaci triduum infestabātur, irrito vt antea conatu, & alijs cohortibus minimè se propterea commouentibus, aut sicubi se ostenderant, primus impetus & clamor rem decernebat. Bellorum mala, grauiùs periculis fatigabant, præcipuè commeatuum inopia, & morbi iumentis ac hominibus iuxta graues: cōmune id quidem postremum vtrisq; castris malum, sed eò

In Turcarum pestis.

Turcis funestius, quò inclinatum iam in hiemem & morbos tempus, ac loci vitium, in corporibus insuetis alieno cœlo, pestem quoque mouerat, contactusq; vulgabat morbos, in multitudine nulli magis

Cosaci ob famē tumultuātur.

numero quàm sibi graui. Apud nos, vnde maximum periculum parq; licentia, inter Cosacos atrocē questum fames accenderat, non sine solicitudine regentium, prout in vtrumq; grande erat in ipsis momen-

Eius ipsi sibi causa.

tum, seu digrederentur, seu manerent. Non frumentum sibi, non equis alimenta prouiderāt, haud speratâ tam diu vno in loco morâ, promptiores ob populationes & raptus ad bella, quàm in bellis ad perseuerantiam. Dux quoq; qui ipsos in castra ducebat, satis factum bello credens, si in fas nefasq; licentiam patefecisset, futurorum secors, alias belli curas parcimo-

Qui rectores Cosacorum. Borodawká.

niamq; deseruerat. Præerat tunc Borodavvka, posthabitis melioribus, turbidissimorum consensu electus. Vnde non ij in arbitrio eius, sed ipse violentiâ eorum trahebatur: cuncta scelera & malefacta, in hostili promiscuè quàm patrio solo impunè conflātibus habentibusque. Dein' adesis & defluentibus, quæ per scelera pepererant bonis, cùm appropinquantibus ad castra, nec copia ampliùs prædandi, proper hostem, neq; ex prodigentiâ aliud, quàm inopia & sola vitia mansis-

sent, ad odium vindictamq; prorumpunt, atq; Ducem ipsi suum, cuius segnitiâ & permissu coaluissent omnium pericula, ab imperio depositum, oneratum catenis, ad expianda promiscuè cum ipso cōmissa flagitia, successori tradunt. Non nouum id apud ipsos, quorum discrimina, tàm flagitijs, quàm virtute constant: aduertasq; in ocio & quiete maximam licētiam, rursus in bellis ac necessitate maximas virtutes.

Saydáczny.

Nam & ei qui Borodavvcæ successerat, ademptum ante erat à Cosacis regimen, contrario affectu, non ob culpam, sed quia morum seueritate, aduersùs delicta inexorabilis, ingenia eorum irritauerat. Manebat tamen admiratio viri & industria, quibus tunc in necessitate ac bello monstratus, designatione Regis, eorumq; consensu, iterū in honorem locumq; priorem assumptus est. Viro, Petri Konaszeuicij nomen: aliud quanquam vulgò suetâ Cosacorum transmutatione Saydaczny vsurpabat. Plurima cum ijs contra

Virtutes eius.

Tartaros, illustriora Vladislaum Principem secutus in Moschouiâ gesserat. Nec tunc segnior primas propè eo in bello partes agebat. Literarum, vt plerique alij Cosaci, rudis. alia à puero doctus, arcum tēdere, eundem fortiter implere, arma equumq; nunquam manu emittere, niues, pruinas, cœli, ventorum rabiem, non tàm integumentis, quàm inuictâ animi tolerantiâ arcere; duritiem, famem, laborem inter consueta habere; hostem non expauescere, vbi periculū cepit, ibi virtutem ostendere. Itaq; ad cætum deliberantium non semel vocatus, & de ratione modoque ducendi belli, decernendiuè cum hoste, iussus dicere, quod alij ex literis scitè magis quàm peritè, ille naturali prudentiâ & vsu, vetus militiæ, non sine admiratione

Disciplina. tione audientium disceptabat. Disciplinã certè inter Cosacos ita restituit, vt quicquid eius sub Borodavvka prolapsum, aut à turbâ contagioni obnoxiâ peccatum fuit, acriori obsequio & virtute deletum expiatumq; irent. Vna fames & inopia, omnia corrumpebat, aduersa modestiæ, & tam propinquo hoste metuenda. quæ cùm tolerari diutiùs non posset, circumuaserãt ob ipsam & nostros Imperatores Cosaci, turbidis clamoribus. Quibus anxius Lubomirscius, atq; ne in grauius malum erumperét metuens, remedium à sua manu attulit, non notos modò, aut quoscunque militari aliquo honore inter eos insignes sciuerat, placando, deliniendo, sed propria alimenta per turmas, per cohortes distribuendo, leuandæ vtcunq; fami. Addidere Commissarij, obstringentes se fidemq; publicam, promissum donatiui quinquaginta millium florenorum, spemq; in posterum stipendij & opulentæ militiæ. *Lubomirscius famem & Cosacorũ tumultũ sedat.*

Paratur excursio nocturna in castra Turcarũ, 11. Sept. Nec detrectatum, magis quod factum Cosaci vrgebant, quàm quod factum alij cupiebant, inuadere castra hostium, cùm alimenta parcè concederentur, alterum hoc vt peruincerent. Crebrò ad id trahebat Kunaszeuicius, pertæsus moræ speiq;, & ad facta magis, quàm ad consulta intentior. Addebat animum, multorum dierum quies, ex quâ abundè spei hostibus conceptum erat, quàm defensionẽ, nihil vltra nostros moturos. & neglecta solutaq; omnia, incuriosas vigilias, transfugæ nuntiabant. Electa nox: diuisa alijs alia munia: tesseráq; datâ, secũdâ fermè vigilia egressum castris. Cùm in eo iam essent, vt nihil sentientes sopitosq; inuaderent; repentè imber ingentibus procellis fusus, impetum prohibuit diremitque, & militẽ ad ca- *Quid eã dissoluit.*

stra redegit. Saluti illum imbrem fuisse exercitui Turcarum, in confesso fuit. Quidam nõ ab imbre, quem fluxisse, postquam euoluta nox fuisset, sed quia in tempore Germanicæ cohortes non affuerunt, quæ Cosacos sequi debebant, turbatam compositæ rei rationem ferunt. Nã primò Cosaci, per intermissa custodijs loca, præire iussi: dein' si aliqua vis coorta fuisset, ad Germanorum cohortem firmam stabilẽque suo & armorum pondere, resilire. Vtq; optima videntur, quorũ tẽpus effugerat, pœnitẽtia tunc emissæ è manibus opportunitatis, affirmatum audiui, repetere neglectam occasionẽ exercitui animũ fuisse, serò iam, cùm à transfuga edocti Turcæ, sibi aduersùs futura prouidissent. Ego etsi nihil in hanc illamuè partem exploratum pro certo affirmare habeo, quum pleraq; nondum peracta, spe dictuq;, quàm re sint faciliora, & non pauca, quæ teneri manibus credũtur, mille insperatis modis fortuna eripiat eludatque: tamen cùm noctem respicio, remq; ipsam tunc moderatu difficilem, & cui tenebræ non parùm prouidentiæ eripiebant, minimè reprehendendũ puto, si aliqui impressionem detrectauerint, ne obscuro cœlo, in cœcos & inobseruabiles casus, se copiasq; induerent: neq; mirum habeo, secundùm duas diuersas vias, vnã, quâ protinùs, alteram, quâ paucos intra dies sedẽdo, casurum per sese hostem, sine cuiusquã impulsu, sine inuadentium sanguine videbant, quòd seram & securam cum ratione, quàm dubiam & festinatam cũ casu & periculo antehabuerint. Quippe manifestè conuulsum iam & fatigatum hostem, nõ pauca ostendebant; sex annorum apparatus in paucissimis diebus attriti, ferocissimi per acies absumpti, & quanquam *Varia fama.* *Credibile quod spes cadentis hostis, per se.*

superaret ingens adhuc multitudo, imbelles esse reliquias. inter quas, gliscebat malum haud facilè sistendum, cùm fame, tædio, peste, non pauci longam miseramque militiam abnuebant deserebantque. Nec enimuerò ea fefellit opinio. Nam Osmanus metuentior in dies, & implicatus obsidione irritâ castrorum, cùm abiretne, aut adhuc moraretur, metu, pudore, indigus rectoris, inops consilij, in diuersum distraheretur: tandem ad petendam pacem inclinatior, obtulit victoriæ confessionem, maioremq; eius lætitiam, quòd cogi videbatur. Delegatur ad eam conciliandā Radulius, Valachiæ illius, quam nos Moldauiam dicimus, Princeps. Is statim ad Hotkeuicium literas Vngaricas, suetumq; nuntium Veuellium misit, cum mandatis & questu: *quòd hactenus paci obstiterit, seq;, quominùs inter vtrosq; populos iam staret, opposuerit. Cur enim in suis ad Vezerium literis, nullam pacis curam mentionemq; fecerit? Non enim eâ causâ Cæsarem Danubium transgressum, vt bello Polonia peteretur, sed ne quis alius Valachiâ potiretur: & quanquam toties lacessitum, id tantùm aduentu suo quæsiuisse, vt pacem prouinciæ tueretur. Sanè ad breue tempus, & paucos dies, Turcarū potentiam ferri consueuisse, qui vbi bella incipiant, nonnisi integris subactis regnis populisq; finiant. Nisi fortè Poloni, altiores spiritus Germanis & Persis haberent; quorum pertinaciâ, illud tandem profectum, vt postea supplices, ad accipiendam pacem, quam antea spreuerant, venirent. Reputaret hæc, & illata hoc tempore regno à Tartaris, vincula, vulnera, luctus. Id conuenire ipsi, vt regnū pace potiùs seruaret, quàm periculis obiectaret: id Regi Regnoq;, incolumitatem populorum sine sanguine retinerent. Rem Ottomanicam huc satietate gloriæ prouectam, vt lacessentibus etiam quietem velit datam. Proinde quem sinistra antea persuasio decepisset, mitteret nunc iterum ad Vezerium, cum illo de summa rerum conferret: si statim inciperet, cuncta secundùm voluntatem; si postea, secundum euentum belli cessura.* Intel-

Nec eam vanam.

Literæ ostenderunt Radulij ex castris Osmani pro pace. 12. Sept.

Intellectū statim ex literis, quod erat magis, quàm quod scribebatur, coactoque Principum virorum Centurionumque concilio, pacem oblatam accipere, an postea armis facere satiùs esset, disceptabatur. Huc adigebat, maius si perseuerarent decus, spes à Rege opis facta, respectus quoq; eius, cui non modò adimi, quod proprium esset, pax, fœdus, bellumque, sed etiam fructus victoriæ videbatur, neuè reuereteretur, cum tanto, quē fama differebat, omnium nobilium apparatu, auxilium posthumū tantum & inane. Sed disserebatur contra. *Serò à Rege omnia prouenire, & si quid venturo agendum superesset, pacem vtique esse & quietem. quæ & Deputatis commissa, & vbi hi regnum vastationibus metuq; liberauerint, totum iam haberi, quod omnes auerent. Nimirum satis exploratum, Regis aduentum sine fine promitti, simulq; illum expectari, & inopiam crescere, vbi momenta belli moram non admittant. Adhæc Cosacos ob famem in castris ægrè contineri, quid si imminente breui eadem omnibus inopiâ, detrectari militia ab alijs legionibus, pluribusq; ab locis castra laxari incipiant & cedere, verendum, ne tanquam ruinosæ domui, sera postea sit occurrentium industria.* Hæc sententia assensum habuit, pluresq; communi pacis desiderio, tunc magis cùm offerebatur capti, pacem prætulerunt. Mittere Iacobum Zelenscium placuit, decorâ proceritate corporis, & vi corporis animiq; insignem, neque impositæ profectionis periculum recusantem. Exceptus est à primoribus Turcarum truci vultu, metū vltrò intentantibus, vt suum proderet, aperiretq; qui animus esset nostrorum Imperatorum? quod consilium? num obsessi fessiq; bello discessum cogitarent? num timentes se gererent? Post vbi contra ac rati, nulla ad pauorem responsa inclinātia, nullum in verbis respondentis negantisq; & vultu metum deprehēdissent,

Deliberatur,

An bellū tenendū,

An pax.

Mittitur Zelenscius ad Turcas pro pace 14. Sept.

diſſent, velut falſi teneretur, contra fas fidemq; datã,
octo eum dies in caſtris ſuis attinuerunt, vulgato, ad
metum reliqui exercitûs, aut ſponte credito rumore,
tanquam interemiſſent. Itur pro definitione iterum
ad bellũ, diremptiſq; conditionibus pacis, vis armaq;
Minuta & ſingularia cuiuſq; colligere, nõ è dignitate Hiſtorici. expediuntur. Equidem poſſem, prout nullus erat di-
es, ex quo caſtra caſtris collata fuerunt, quo, non ori-
ens ſol ſimulq; Turcæ, non aliquid aggredientes ten-
tanteſq; videndi erant, velitationes, prælia, ſtructas
alteris ab alteris inſidias denarrare, niſi ad parua &
ſingularia toties me reuoluendo, quæ nullo ſanè eti-
am memorando, in hanc illamuè partem exitu, con-
tigerunt, à rerum ſummâ ſæpiùs interſiſterem, obuio
legentium tædio, & in nimia curâ minutorum, aſſen-
tationis ſuſpicione. Sed ſicut illuſtria & magnifica
præterire nefas, ita minima conquirere procul graui-
tate ſuſcepti operis habuerim, quando cuiuſq; virtus,
& ex conſcientiâ pretium, & cui impenditur, ex pu-
blico, abundè ſuam accipit memoriam & famam: nec
minùs eos qui præſunt, ex conſilio, prouiſu, quòd iu-
beant quæ expediat, gloria ſequitur; ſed & eos, qui vi-
tam, ſanguinem periclitati, mandata excipiunt, mili-
tumque decretoriam victoriæ manum.

Karakas-Baſſa depoſcit oppugnationem caſtrorum. Ergò cùm pax expectaretur, atrocius quàm vn-
quam ante prælium commiſſum eſt. Vim ei & fiduciã
Karakas-Baſſa attulit, eodem quo Zelenſcius die, ca-
ſtra Turcarum cum nouis copijs ingreſſus. Præfectũ
in Vngariâ Budæ agebat, vir acer animi, & multa olim
feliciſſimè auſum ingẽs expectatio virtutis apud Tur-
cas circumſtabat, nec paruum incitamentum Oſma-
nus erat. qui famâ & aduentu eius debellatum ratus,
barbaro truciq; ac implacato voto ſe obſtrinxit, iura-
uitque:

uitque: *Nuſquam ſe niſi in captis caſtris cœnaturum.* adhæc *Oppugnat 15. Sept.*
veluti certus iam euentûs, locum vnde proſpectaret
pugnam, ſibi deligit. Cincta craſtino die, haud ſecus
ac coronâ, caſtra. bipartitus tamen impetus, ad Lu-
bomirſcianam portam, & Waieri ſtationem, acriùs
incumbebat. Hìc tenuis porrigebatur planities, in
quam ſimulatâ fugâ, ex vallo eum extrahere, poſtea
turbatis deductiſuè ordinibus, in terga inuehi, reditũ-
que claudere, captatâ non procul ex opportunâ ſyl-
uâ excurſione decreuerat. Illic ſedebat in ſtatiua
Moſſinij perrumpere, quæ, redactis militibus multis
prælijs excurſionibuſq; ad paucos, minori manu ſer-
uari, à transfuga Vngaro intellexerat. Speſq; ita cer-
ta erat, vt deſilientes ex equis Turcæ, ſuorum peditũ
adiuuarent vim impetumque. Adhæc Karakas, ſiue
vt præſens acriùs inſtaret, ſiue, vbi ſolutam turbatãq;
rem vidiſſet, occaſioni non deeſſet, præcipuum ſe ad
periculum & exemplum dedit. Repentina ea vis ma-
gis, quàm inſperata Polonis aſſiduè intentis paratiſq;
fuit. Et Lubomirſcius ſummæ tunc rerum pugnæq;
adminiſter, voce, manu, præſentiâ ſuis conferre, ali-
os commonefacere beneficiorum ſuorum, alijs alio-
rum virtutem oſtendere, prædicare, pro cuiuſq; in-
genio, pollicendo, minitando, obteſtando, aliũ alio
modo firmare excitareque. Clamor ingens exori-
tur: pugnatur vtrinque extremis viribus, nec in totâ
oppugnatione atrocioribus animis. Referunt ex cõ- *Dolum ſtruit.*
poſito, in parte Waieri, pedem hoſtes. in quos ignari
doli, cùm ſe noſtri concitaſſent, repentè flexis ad pu-
gnam equis, & ex abdito proximæ ſyluæ, vbi latuerũt
effundentibus ſe alijs, renouant acriùs Turcæ cum *Interficitur.*
Waiero prælium. Duplex hic fama eſt, alijs à parte
Q 3 Waie-

Waieri, alijs à Lubomirſcij, Karakas-Baſſam interfectum aſſeuerantibus, cùm, quò magis agnoſceretur detracto capiti tegmine, ſtrictoq; ferro præcurrens ſuis, in volantia ex aduerſo tela temerè illatus, patefacta vulneri ſimulq; morti fronte, pilâ tactus occubuit. Siue rem ambiguam, Waieri locus, in quem Karakas incurrerat, fecit; ſeu ſubſidium Lubomirſcij illuc properè ſubmiſſum, cùm in eum ex ſyluis ſe hoſtes effuderant, contulit ſimul ad victoriam & mortem. Nam ex eadem ſyluâ potitus fuit Lubomirſcius, tum variâ ex Turcis prædâ, tum non paucis equis, quos ipſius Centurio Fekettus adduxerat. Senſit certè vtraq; acies caſum viri: momentoq; temporis cœpta fuga & ſtrages, quanta, ſatiantibus ſe cruore hoſtium Polonis, extendi ad noctem potuit.

Oſmanus abijcit belli cõſilia, agnoſcitque temeritatem ſuam.

Iam ſpes toties eluſa, iam conatus multo ſanguine damniſq; defeſſi, nondum ira & pertinacia Oſmanû deficiebat: qui eò quòd præſens & deſtinata fefelliſſent, vt alij ſecundis, ita aduerſis eorûq; pudore acriùs accendebatur. Et propiùs iam tum ipſa patebat temeritas, quantum præcipitatis conſilijs peccauiſſet, cùm nec reuocari ampliùs, nec reſtitui in integrum facta poterant: victoriæ nimiâ fiduciâ, victoriam corruptam: moram pariter, & quicquid nimis properû pro nobis: petita fruſtrà & oppugnata caſtra, & obſidio ſi vlteriùs continuaretur, eam quoq; cœlo ipſo ſolui. Iam fœdum & indignum, commotâ orbis propè expectatione, intẽtis ad exitum belli tot Regibus Principibuſq; inglorio abſcedere: tantùm impenſarum, apparatûs, laborum, reuerentiam quoque & maieſtatem Imperij, cû gloriâ militari, hoſti largiri. Quibus curis diductus exercituſq;, nihil adhuc, quicquid vis huma-

humana aut virtus poſſet linquere ſtatuit, & quòd remittentibus cœpta temeritas iniquiſſima, & fiducia aderat, multa tentanti aliqua in parte victoriam affore. Sed quantò maior erat hoſtium ferocia, hoc nobis efficacior virtus; terror quoq;, qui in aditu & initio validus, tempore imminutus, & ad proſpera magis excuſſus, iam in hoſtes ſe verterat.

Coſaci noctu inuadunt caſtra Turcarum. 18. Sept.

Coſaci præcipuè, quæſtu maiori prædæ, quàm gloriæ, nihil tutum ſibi, nihil hoſti permittendo, partes agebant ſuas. Ij quatriduo poſt, in duo agmina ſe diuidunt. Vtroq; nocte mediâ egreſſi: vnum aduerſùm vigilias Turcarum conſtituunt; altero per obſeruata ſibi vada, pubetenus per fluuium vadentes, nullo ſentiente prohibenteq; caſtra Turcarum ineunt. Illata priùs cædes qnàm pugna, inciſis tabernaculorum funibus, aut ſuis tegumentis opertos, ne ſonitus acciperetur trucidant, in vaſtæ magnitudinis caſtris, ſenſu non pertinente ad omnia. Poſtquam correpta arma, & ab Turcis excitatis vulneribꝰ ſublatus clamor, dant interiores Coſaci ſignum, ijs quos ante vigiles conſtituerant. Qui inſperato tumultu clamoreque, à tergo ſimul, ſimul à fronte territi, fugienteſque in diuerſa, aperiunt dantque latam prædâ onuſtis Coſacis exeundi viam. Idem poſtridie ab ijs factum. quo tẽpore, noctu reperto vado ttanſgreſſi Neſtrum, in Taki-Baſſam alterâ parte fluminis, propter pontem caſtra habentem, inſiluêre. adeòq; intercepto à tergo fugæ nuntijſq; ponte, auxerunt non cæde ſolùm, ſed fugâ etiam ſtragem, vt omnes aut ferrum, aut qui ferro terga dabãt, amnis acciperet hauriretque. Vix paucis effugium patuit. ipſe Taki-Baſſa in lecto, arctiori ſomno preſſus, trucidatus eſt.

Idem faciunt 20. Sept.

Inter

Hotkeuicius spe vitæ destitutus, regimen resignat Lubomirscio, 22. Sept.

Inter hæc Hotkeuicius, cùm nouissima iam morbus interminaretur, exspes vitæ, depositurus humanas curas, ex castris in arcem Holinensem deferre se iubet. Ibi fato propinquus suo, paucis adsidentes Cōmissarios allocutus, dein' ad Lubomirscium versus, opem cælestem ipsi piè precatus, ius omne belli pacisq; in eum transfert, & regimē imperium suum addicit. Ferunt Lubomirscium digressum à colloquio Imperatoris & conclaui, mæstum ac dolentem, prout ex omnium, qui aderant oculis, & orbitas ipsa, & sortis humanæ miseratio lacrymas expresserat, non priùs ad curas opusuè, se conuertisse, aut factum aliquod, licet quæreretur imperâsse, quàm castra & tabernaculum suum ingressus, positus humi, supra vsitatum morem, multis precibus & votis, imploratâ cælesti ope auxilioque, vt consilia & facta attolleret, salutem totius exercitûs cum fortunâ suâ Deo addixit: auditus pro victoriâ Numen ita adorare. *Deus Mi, summe & æterne Deus, Rex omnium & Domine, cui est potestas nostrûm hostiumq;, Tuam Maiestatem oro quæsoq;, vt quemadmodum Te Dominum confitemur, Dominum sentiamus: volens propitiusq; Tuis adsis; fugam, formidinem, terroremq;, vertas in eos, qui te Dominum respuunt negantq;; portantibus nomen Tuum & causam victoriæ, da ipsam quoque victoriam.* Inter hæc vouit templum, quod confecto feliciter bello, locauit postea in Wisnicz, eâ magnificentiâ, quam regiæ opes vix ampliùs ornarent augerentque; & reddidit dedicauitq;, cum Cænobio Carmelitarum Discalceatorum, sacrum IESV CHRISTO SALVATORI, quasi commilitoni Deo stipendiū. Hotkeuicius deinde, à deposito imperio, non plus biduum superstes, ingenti luctu totius exercitûs extinguitur. Raro milites

Lubomirscij votū.

Templū ex voto in Wisnicz.

Hotkeuicius moritur 24. Sept.

lites effusiori commemoratione virtutum, defleuêre Ducem suum, adeuntes cadauer, & cum lacrymis ac laudibus, manus armaq; mortui exosculantes. Cuius auditâ simul morte victoriâq;, cùm indoluisset quoq; Rex, auditus est dicere: *Raro non solere consequi, immisceriq; magnæ felicitati & gaudio, aliquod infortunium & acerbitatē.* Et sanè Hotkeuicius bellicâ in domo natus, patre Gregorio pariter Imperatore exercituū, Marschalco Supremo, Castellanoq; Vilnense, militarem prudentiam penè hæreditariam habuit. Hæres postea paternæ virtutis & præfecturæ militaris, prælijs pares victorias numerauit. Cum Carolo, Patruo Sigismundi Regis, collatis signis sæpiùs dimicauit; nec solum erepta ab eo recepit, sed multis locis eum fudit fugauitque: exercitu non rarò, exercitus Imperatoribus simul duobus, ad Volmariam exuit. Ad Kircholmū suâ se virtute, non multitudine hostium metiens, perparuâ trium millium & trecentorum militum manu, sexdecim millia hostium, luce clarâ, marte aperto, acie vtrinq; instructâ, inuasit, disiecit, deleuitque. Liuoniam liberauit. Æstoniam aperuit. quin vltra bellum victoriamq; proferret, iussum publicum defuit; quò, sicut cætera apud nos, ita arma sua consiliaque Imperatores ad præscriptam rationem moderantur, primam præcipuamq; tranquillitatis publicæ habendo curam. in quâ magis ad æquitatem, quàm successum fortunamq; intenti, hoste domum & ad sua redacto, bella quæ finiri celerrimè refert, intra fines, velut illic pericula desinant, abrumpimus deponimusque. Certè tunc quoq; mors, id præmium laborum attulisse viro visa est, vt confecto feliciter bello, inter victoriæ plausus, velut in triumpho suo conderetur. Ætas supra sexagesimum annum processit. Corpus depor-

Regis quoque.

Elogium eius, & Bella.

Sepultus in Oſtrog. deportatum in patriam, ab vxore, quam ex familia Ducum in Oſtrog acceperat, inſtauratâ exequiali pôpâ, peractiſque magnificentiſſimis parentalibus, in vrbe id nominis conditum eſt, decimoquarto poſt obitum menſe, relicto ad poſteros monumento.

Supremæ vires à Turcis effunduntur ad oppugnanda caſtra, 28. Sept. At audita mors Hotkeuicij, Turcarum iterū erexit ſpem animumque. Nec mora admiſſa, prout vires morientium poſtremo & in nouiſſimis intenduntur, quicquid virorum copiarumq; in caſtris erat, ante lucem eductum. Quinq; & viginti tormenta, in alterâ Neſtri ripam aduersùs Coſacos deportata, diducēdis perturbandiſq;, ſimul ac metus occaſionē admiſiſſet, ad traijciendum flumen, additis Tartarorum circiter triginta millibus. Alia tormēta, in caſtra obuerſa. Sed *Eminùs primò.* globorum terror detrimentum haud æquauit, vitatâ pernicie munimentis latibuliſq; ſibi conſtructis à militibus, & quòd extrorſum caſtra, locus leniter deuexus in planum erat, ex quo excuſſi globi, intactis etiam munimentis ſuperuolabant. Ex alto plus demittebantur, facili velut à fulmine, quicquid cōtigiſſent *Et vix vitatum periculū Vladiſlao Principi. Deinde cominus.* periculo. Conſtat è cuſtodiâ Vladiſlai Principis, vnū propè tabernaculum, tormenti ictu ſublatum, ad cuius quoq; pedes, non paucas prolapſas pilas, propitiū numen ſtitit arcuitque. Poſt tentatum ſupremum ignem, machinarumq; nihil interquieſcentium tonitrua, quas ampliùs mille ictibus, eo die exſonuiſſe ferunt; admota, quæ laborem, ſed & gloriam maiorem habet, manuum vis, cùm in omnes partes, tùm maximè intento in Liſſouienſium & Dinophiorum ſtatio-*In Germanicas cohortes. Liſſouienſes,* nes inſultu. Et is quidem aduersùs Germanicas cohortes acris, ſed irritus fuit, inſtructas longioribus ſclopis, & nunquam ſine clade tentatas. Liſſouienſium & breuiores tubi, & locus infirmior erat. Illuc torren-

torrentis inſtar extremo conatu illati, pulſi, pellētes, nullo ſuorum cadentium metu, vt Turcis negligentia vitæ virtus habetur, contendere, conſerere pugnam, munitiones perrumpere, aſcendere, milites conturbare: arma, tela, hoſtes, ciues permixti. Lu-*Vbiq; repellūtur.* bomirſcius, (cùm nutantibus pariter animis & munimentis, auxilium facilè præ paucitate militū, ob quā caſtra quoq; arctiùs ſtatuerat, ferri non poſſet, omnibus æquè ad periculum ſuum in ſtationibus intentis) decimum quenq; ex omnibus cohortibus abſtrahit: deinde in vnum coactos & ordinatos, acceptâ etiam è Vladiſlai Principis cuſtodiâ cohorte, vbi laborabatur in hoſtes immittit. ſimul orare, hortari ne deficerent, neq; illis alia caſtra, neq; munimentum vllum, quo cedentes tenderēt, eſſe; in manu & armis locoq; retento omnia ſita. Vbi eâ parte fuſi hoſtes, omnibus auertuntur. Sed non parua victoriæ appendix tum *Munitio Szembergij.* Szembergius erat. Is haud procul vallo, repentinam munitionem editiori ſolo, vt totus campus ad ictus pateret, exſtruxit, ſeptam leui aggere foſsâq;, tectam vndiq; frondibus arboribuſq;, vt obiecta hoſtiū oculis, internatorum virgultorum ſpeciem redderet, & ſimul certam à conditis illic tormentis militibuſque cladem. Tormenta duo habebat, & aliquoties denos pedites è ſignis Lubomirſcij & Zamoſcij. Atq; noua loci facies principio Turcis ſuſpicionem mouebat: deinde cum diu obequitantibus, quies & ſilentium metum inſidiarum eximerent, quoties aut receptus, aut impreſſio in caſtra repetenda erat, velut ſe illic tecturi, totis agminibus congregabantur. Enimuerò *Et ſtrages notabilis, quā edidit.* propiùs nactus confertos Szembergius, effusâ pilarū glandiumq; ingenti tempeſtate, fudit toto, quantum ante caſtra erat, ſpatio. Erumpunt in tēpore vndiq; ex ca-

ex castris alij. Tum verò spectaculum horribile in campis patentibus, sequi, vulnerare, occidere. equi traiecti glandibus alios ex se excutere, cum alijs procumbere: trūcato corpore per humum alij colluctari, alij viribus deficientibus morti se offerre. Passim, quà visus erat; arma, semineces, mortui, laceri artus, stratus cadaueribus campus, & cruenta humus.

Seriò Turcæ pacem petunt. Hac demum strage, intrauit Osmani animum vltima desperatio: & prout solenne Turcis, ad superstitiones fortunam trahere, inauspicatò se mouisse bellum questus, simul intutam sibi eo loci moram vidēs, altero die per Veuellium, & remissum ad castra Zelenscium, pacem & ad disceptandas cum Vezerijs conditiones, legatos poscit. *Mittuntur legati, 29. Septembr.* Profecti Stanislaus Zorauinscius Castellanus Belzensis, & Iacobus Sobiescius Palatinides Lublinensis. quia in celeritate multum momenti erat, deposito instrumento, in quo conditiones conceptæ erant, vt seruaret, signandasq; Senatoribus & Cōmissarijs offerret, apud Andreā Sołdrscium Secretarium Regis, & Principis Vladislai Cancellarium, virum ingenio prompto & præsenti, ex quo aliisq; virtutibus, & meritus postea transijt in eū tiaræ Episcopalis honor, & ex solertiâ introspiciēdi sensa Principis, mandata eius, priusquàm voce ederētur, ex vultu coniiciendi, dexteritate exequendi, beneuolentia & gratia Principis. *Conditiones pacis depositæ apud Andream Sołdrciū.* Disceptatio diu tenuit, circa coërcitionem pœnamq; Cosacorū; pari pertinaciâ, quod in Cosacos Turcæ cupiebant, id in Tartaros vt fieret, nostris postulantibus. Quæ cōtrouersia cùm vtrinque exitus inexplicabiles haberet, obliuione condonatis consepultisq; vtrinq; iniuriis, quatriduum post, Sobiescius rediens ad castra, instrumētum à Sołdrscio, & à Lubomirscio literas, ad Osmanū acce-

accepit. ad quem admissi ambo legati, post officia solita & venerationes, literas Lubomirscii obtulēre. Pax in antiquas conditiones conuenit: adiectumque, *10. Octob. admissi ad Osmanum legati, & approbata pax. Quibus conditionibus.*

I. *Legati vtrinq; Magni, à Rege ad Cæsarem, à Cæsare ad Regem, ad probanda vtrinq; quæ in castris concepta, expediuntor.*

II. *Constantinopoli Rex, vnum more aliorum Regum Principumq; perpetuum habeto.*

III. *Interea Osmanum Stanislaus Sulisseuius, donec à Rege is veniat, comitator, quem humanè comiterq; Turcæ habento.*

IV. *Vtriusq; populi subditi, ab vtrisq; tuti sunto.*

V. *Negotiationes, mercaturas, alteri apud alteros exercento, ac perinde vt ante receptum, inter se agunto.*

VI. *Qui homines, quæ oppida, agri, vici, castella Valachorū fuerant, vt Hotimū arx oppidūq;, ea Valachis sine mora reddunto.*

VII. *Valachiâ vterq; exercitus excedito.*

VIII. *Cosacos Zaporouienses, nauigatione Boristhenis Rex arceto: Cæsar quoq; Tartaros Białogrodienses, Tehinenses, Kilienses, Dobrucenses, Cremenses, ab incursionibus abstineto, vltra Otczakouum exire ne permittito.*

IX. *Desertos campos, vacuaq; loca, quæ alteris ab alteris intercedunt, neuter inuadunto adeuntoq;, extra quam venationis & piscationis causa.*

X. *Nec castellum vllum vrbemuè ijs in locis condunto, aut præsidium imponito.*

XI. *Si quæ iniuriæ damnaq; facta fuerint, alteri alteris vindicato restituitoq;.*

XII. *Si quid horum Tartari admiserint, nec vindicatum fuerit, Chami crimen, isq; reus apud Cæsarem esto.*

XIII. *Stipendia Tartaris, prout ab alijs Regibus admissa pactaq;, Rex exhibeto.*

XIV. *Tartari vicissim pro ijs obsequium Regi præbento, & vbi opus fuerit auxiliantor.*

XV. *Ad Valachiæ Principatum, vt antea, ita deinceps, nisi initiali fidei lauacro tincti euehuntor, neque Turcicæ religionis admittuntor.*

 His

Poloni 13. Octob. His vtrinq; conſcriptis conſignatiſq;, tradito Hotimo, ambo exercitus è Valachia exiuere. Ibant primi Turcæ, quàm lætis, quoad adſpici ex vallo, ſequẽtibus eos Polonorum oculis, poterant, tàm ipſi triſtes & offenſi ſpectantibus, Dijs ſuis querelas intentãtes. *Turcæ 12. Octob.* minæ aliorum iræq;, aliorum etiam gaudia ex reditu ad ſuos eminebant. Nam ad æſtimationem compoſiti belli, illud ab hoſte nobis decus additum, quòd & pontem documentum victoriæ, per quem copias traduceremus, reliquerunt: & quanquam multum nobiſcum diſceptati, priores tamẽ caſtris egreſſi, magno ſtrepitu & tumultu, cùm ſibi quiſq; primum itineris locũ peteret, domumq; peruenire properaret, fecerunt, vt conſimilis fugæ profectio fieret. Gaudiũ deinde in caſtris actum, militari gratulatione exploſis machinis tormentiſque. & Vladiſlaus peracto bello, Andream Soldrſcium ad Sigiſmundum Patrẽ miſit, qui victoriam bellumq; confectum nuntiaret. Ob quę domi Deo Immortali gratiæ actæ. *Dies feſtus & ſacer victoriæ Polonis.* Egit & ipſe Gregorius Decimusquintus Pontifex, inſtituta ſupplicatione grates, ac edicto ſolenni, incolis populiſque Poloniæ, Diem decimum Octobris feſtum ſacrumque, in perpetuum eſſe iuſſit.

Moſchi & Sueci mouent bellum. Interea dum id bellum tranſigeretur, duo alij populi Moſchorum & Suecorum, ſumpsêre in nos arma. Moſchis cauſæ fuerunt, damna accepta, ademptæq; haud pridem à Vladiſlao Principe, Seueria & Czernihouia Prouinciæ: Suecis Adolphi Guſtaui libido, deq; regno Sueciæ vetus à Carolo patre relicta contentio. *Moſchi deponũt.* Sed Moſchi, per latrocinia tantùm vagi, mox terrore nominis noſtri, famaque depoſiti vtrinque belli, ſtatim ceſsêre. *Sueci nõ.* Guſtauus pro regno acriter inſtitit. Nam is, quanquam in eo à Carolo patre relictus,

confirmatiſq; iam populi animis, ambiguus tamen agebat, viuente Sigiſmundo, quem à patre regno exutum, tunc quoque auctum liberis, validiùs timebat. Atq; Guſtauus initio, conſcientiâ malè à patre parti relictiq; regni, & metu, locũ magis dolo quęrebat. quoties Polonos cum eo belli tæderet, inducias nõ aliter, quàm vt Regis Senatûſq; nomine, in perpetuũ poſtea pax firmaretur, cõcedens. *Cur.* Eius nomine adijciebat arces, prouincias, & quæcunq; Poloniæ adnexa eſſent. velut ita iniuriæ pro regno ſatisfacturus, aut hoc pacto illectis ad pacẽ noſtris, infirmũ Regẽ ſi quid vlteriùs tẽtaret, ſine cõſẽſu Senatûs redditurus. Itaq; bienniũ ante vtrinque, per Iacobũ de Gardic, & Hotkeuiciũ, Duces, hâc pactione inducię cõuenerũt. atq; cùm ex hoc anno exſpiraſsẽt, paci ex cõdicto ſtatuẽdæ dies Kalẽdæ Maij, locus inter Oberpahlũ & Albũ-Lapidem erat. Quo cùm noſtri veniſſent, inducias repetituri, neq; Regis & Senatus, vt cõuentũ fuit, ſed Ducũ & exercit⁹ nomine, infectis rebus diſceſsũ eſt. Tũ Guſtauus, damnis promptiùs quod cuperet poſſe impetrari, vtẽdũq; occaſione ratus, dũ bello Turcico deſtineremur, inſtructâ claſſe, cùm eâ ipſe ad oſtium Dunæ appulit: ibique copijs expoſitis, parũ ad Muhlgrabiũ moratus, Rigâ deflexit. *Rigam obſident.* Validiſſima hæc Liuonię vrbs, terreſtri ac maritimo ſitu, & naturâ & opere munita, nulli⁹ idoneæ rei egẽs, armis viriſq; inſtructa, tũc nõ prouiſo metu, trecentorũ præſidiariorũ manu tenebatur. Hâc igitur Guſtau⁹ circũuenit. ac primùm per colloquia & ꝓmiſſa tẽtatâ ciuiũ fide, vbi cõſtãtes ſenſit, *Inuitant ad deditionem.* magno terrore in oppugnationẽ eius cõuerſus eſt. Itaque machinas, tormenta obuertere, cuniculos ducere, & quicquid expugnandis vrbibus idoneũ admouere. Rigenſes cõtra, quãquam numero diſpares, ſaxa,

ſaxa, trabes, tegulas expedire, mænibus torméta, ferreas fiſtulas tuboſq; inducere, aliaq; defendẽdis vrbibus apta opponere. Sed maximũ Guſtaui operũ cuniculus fuit, ad mænia, præcipueq; Hoſpitale Georgianum agi cœptus, neq; ante die nocteq; omiſſus, donec egeſtâ humo, plurimis locis dolia pyrio puluere plena ſupponerẽtur. Tũc vbi iã in manibus vrbs & victoria erat, quò in futurum fama clementiæ, & obſequium aliorum pararetur, aliquot Rigenſium â Guſtauo euocati, mox ad ſuffoſa loca deducti, ſtatimque ad ſuos dimiſſi, enuntiato alijs periculo, ſponte portas aperuere. Eâdem arte nihil vrbi detractum eſt; inſuper quibus nouus Dominus diſplicebat, aliò migrandi facultas conceſſa. Capta tam properè Rigâ (neq; enim ampliùs menſem obſidionẽ tolerauerat) metus ceteris iniectus; moxq; Dinametũ, Nitaua, Kokonausũ, aliæq; arces & oppida, in deditionẽ venêre.

Deinde operum & cuniculi terrore capiunt.

Cum Rigali a oppida.

Sed quanquam ad finem propoſiti mei peruenerim: nequeo tamen mihi temperare, quin, quod ſequenti anno ſucceſſerat, fatum Oſmani ad finem belli apponam. Is vt compoſita turbarentur, deſperatioq; nobis mittendi Conſtantinopolim legati, illicq; habendi inſereretur, abire penitus in Arabiam, eoque ſedem Imperij transferre parabat. Id in ſuſpicionem Turcis, metumque maiorum bellorum, mox iram, tandem tumultum eualuit. Rapta arma, nudati gladij, impetus ne foribus quidem palatij coercitus. At ille per auerſam palatij partem, ad Ager-Baſſam fugâ elapſus, haud multùm imminens exitium latebrâ diſtulit. Statim inuentus protractuſque, plurimis vulneribus conciſus confoſſuſq; eſt. Hactenus quoq; tumultus fuit. Mox Patruum eius Muſtapham Cæſarem conſalutatum, frequens populus mileſque, prout erat in armis, in penates fratris nepotiſque reduxit. Sed ego narrationem meam hic SECO, & FINIO.

Oſmani Cæſaris exitus vitæ, Anno 1622.

Cui ſuccedit Patruus Muſtapha.

Hist. Polen.

6, spec.